Epistolæ duæ D. Volusiani Episcopi Carthaginensis, ad Nicholaum Papam primum, de Cęlibatu Cleri.

Inquisitio Discipuli et solutio Magistri de eadē causa, nuper reperta inter manu scriptos libros Anselmi olim Cantuariensis Archiepiscopi.

Decretum Synodi Anglicanę in cōcilio Wintonienſi, cui prędidebat LANFRANCVS olim Cantuarienſis Archiepiscopus.

Epistola Girardi Archiepiscopi Eborac. ad Anselmum Cātuariensem, & eiusdem responsio ad eundem.

Testimonium quoddam Athanasij Alexandr. Archiepiscopi in epistola ad Draconti.

EXCVSVM LONDINI in ædibus Henrici Byneman.

ANNO DOMINI. 1564.

Lectori.

NICHOLAVS PONtifex Romanus, eiuſdē nominis primus (amice lector) cum durius & magis acerbè ſtatuiſſet, quàm pro libertate chriſtiana, aut charitate paſtorali fas eſſet, in Sacerdotum coniugiū & Miniſtrorum matrimonium, ac propterea publico decreuerat edicto cōtra huiuſce generis hominū nuptias (vt videre licet non modo in decretalibus à Gratiano expoſitis Diſt. 32. Cap. *Nullus miſſam audiat &c.* ſed etiam in magno libro Conſiliorum (ex collectione *Ioannis Coclei*) in viginti titulos diſtributa,) *Voluſianus* Carthaginenſis Epiſcopus, vir pietate & ſacrarum literarum cognitione celebris, ægrè ferens tantum ſeruitutis iugum Pontificis Decreto, liberis hominibus impoſitum, duabus hiſce Epiſtolis prędicti *Nicholai* inconſideratum conuellere zelum ſtuduit. Quarum altera, ſicuti per multos iam elapſos annos (tanta erat temporum iniquitas) *Æneæ Syluij* tituli, *S. Sabinæ* præsbiteri Cardinalis & eorum

(qui hunc ducem ſequebantur) errore, non alium quàm *Huldericũ* Auguſtenſem Epiſcopũ pro genuino & legitimo authore agnouerit: ita nos ex codice (antiquiſsimi exemplaris) manuſcripto, adiuti, & diligenti perſcrutatione hac in re vſi, malo dolo ſubſtitutum hunc *Huldericũ* amouimus, & hoc ſcriptum *Voluſiano* Epiſcopo Carthaginenſi, vero & indubitato authori rurſus aſcripſimus. Nam & temporum ratio, & ipſius *Voluſiani* verba, exemplari noſtro (ante ſcripto, q̃ *Gulielmus* primus huius regni tenuit gubernacula) idipſum poſtulare videntur. Altius enim nobiſcum, & maiori cum diligentia quæq; repetiti, nec non *Onuphrij* & reliquorũ ſcripta perluſtrati, inuenimus *Nicholaum* eius nominis primum Pontificem obijſſe Romanum anno. 867. *Huldericum* autem Auguſtenſem Epiſcopum è vita deceſsiſſe anno. 974. & anno ætatis ſuę. lxxxiij. & epiſcopatus ſui ãno. 50 imperante *Ottone* ſecundo magni *Ottonis* filio. Quod cum aliorum, tum inprimis palam fit teſtimonio gallicę cuiuſdam hiſtorię ad mandatum *Henrici* Imperatoris quinti conſcriptæ, cuius initium eſt: *Quamlibet*

Rem-

Rempub. testatur Tullius fœlicem fore &c. Ista ergo, candide lector, multos iam annos densa caligine sopita, & obscuris quibusdã nubibus obducta, tandem aliquãdo nostro labore in lucem prodiere, quæ eo nomine multo maioris sunt facienda, quod è veterũ monumentis eruta, nostram (vulgo nouam & fictitiam appellatam doctrinam) planè confirment. Cæterùm vt vis, & energia epistolarum illius laudati præsulis *Volusiani* manifestior tibi fiat, non sum grauatus tractatum quendam etiam in lucem exponere *Anselmi*, quondam Cantuariensis Archiepiscopi nimis q̃ acerrimi huius coactæ castitatis defensoris, quam elucubrationem vel tẽporis iniuria propè exoletam, vel certè, non ita magni apud eruditos ponderis estimatam, vetus quoddam manuscriptum exemplar, reliquis authoris operibus iunctum (cui titulus est *Offendiculum Sacerdotum*) memoriæ iam nostræ reuelauit. Scribitur & hoc opus (vt legenti apparebit) quasi in forma inquisitionis nomine Magistri & Discipuli: quo genere docendi vt plurimum Author delectabatur, ita & varia post se reliquit opuscu-

la ad eundem modum edita (vt ipſemet in Prologo Dialogi illius de veritate teſtatur) quorum vt in codice Coloniæ impreſſo anno. 1560. animaduertimus, magiſtrum, & diſcipulum interloquutores habentia, & vnum quartum inter Anſelmum et Mariã interloquutores, ita vnũ aliud Lutetiæ impreſſum (cui nomen *Promptuarium*, vel vt placet Typographo, *Elucidarium, ſiue Dialogus beati Anſelmi &c.*) agnouimus inuentum diligentia *Claudij Eſpencei* Theologi, excuſum labore & ſumptibus *Federici Morelli* Calcographi Pariſienſis. Nec illud tibi quicquam imponat amice lector, quod in hoc Dialogo rithmis quibuſdam, & ex æquo reſonantibus verſibus, rem ita grauem & ſeriam *Anſelmus* tractauerit, cũ illi mos inoleuit (ſibi an populo potius placẽdi cauſa neſcio) ſententijs ſibi inuicem reſpõdentibus, tam alibi in ſcriptis ſuis, quàm in Dialogo Pariſijs impreſſo, vti, & delectari.

Quod ſi miretur quiſpiam qua potiſsimũ ratione ductus, hæc *Anſelmi* & *Voluſiani* opera ita ex aduerſo pugnantia coniũctim in publicũ emitti fecerim, ſciatis me nõ alio id feciſſe animo, q̃ vt lectori participando

abdita

abdita & extincta penè hæc tã ſacra patrũ monumenta: illi profim, & vt is pugnantium conſtitutus iudex, non ſolum religionis integritatem, ſed & rationum pondus, earũque materiæ accõmodationem intueatur & perpẽdat. Et quanq̃ in hac tãta mortalium infelicitate, nonnulli deprehendantur, qui omni ſolertia & diligentia laborarunt, hæc tam ſplendida libertatis propugnacula, aut penitus celare aut deprauare plurimum: ecce tamen quædam, veluti quæ nunc tibi proponuntur, ex ſitu & puluere vindicata, tui erudiẽdi cauſa in aperto collocantur. Quæ nõ propterea noua iudicanda, quòd nunc primum prælo cõmittantur, cum videatur eadẽ ipſa ſanciuiſſe Synodus Anglicana diebus *Lanfranci*, *Anſelmũ* proximè præeuntis, qui in coercenda ſacerdotũ libertate *Anſelmo* longè clementior exiſtebat, nihilominus q̃ ſub *Hildebrando* pontifice vixerat, qui tãta cum crudelitate & totius Eccleſiæ damno vxoratos Sacerdotes eſt perſecutus: vt *Sigiſbertus* monachus Gemblacenſis laudatus hiſtoriographus in illius ſeueritatem non erubuit quę ſequuntur effari.

Grego-

" *Gregorius* papa celebrata ſynodo Symo-
" niacos anathematizauit, & vxoratos Sacer-
" dotes à diuino officio remouit, et laicis miſ-
" ſam eorũ audire interdixit, nouo exemplo,
" & vt multis viſum eſt, inconſiderato præ-
" iuditio contra ſanctorum Patrum ſenten-
" tiam, qui ſcripſerunt quod ſacramenta quæ
" in eccleſia fiunt, baptiſmus, ſcilicet chriſma,
" corpus & ſanguis Chriſti, ſpiritu ſancto la-
" tenter operante eorundem ſacramentorum
" effectum, ſeu per bonos, ſeu per malos intra
" eccleſiam diſpenſentur, tamen quia ſpiritus
" ſanctus myſticè illa viuificat, nec bonorum
" meritis diſpẽſatorũ amplificantur, nec ma-
" lorum peccatis attenuantur: vnde eſt (hic
" eſt qui baptizat.) Ex qua re tam graue ori-
" tur ſcandalum, vt nullius hæreſis tempore
" Sancta Eccleſia grauiori ſchiſmate diſciſ-
" ſa ſit: his pro iuſtitia, illis contra iuſtitiam
" agentibus: álijs à ſymonia non declinan-
" tibus, alijs notam auaritiæ, honeſto no-
" mine prætexentibus, dum hoc quod ſe gra-
" tis dare iactant, ſub charitatis nomine ven-
" dunt, & vt de montanis dicit *Euſebius*, ſub
" nomine oblatiónũ artificioſius munera ac-
" cipiunt. Porrò continentiam paucis tenen-

tibus,

tibus, aliquibus eam modo causa quæstus,, ac iactantiæ simulantibus, multis incontinentiam periurio aut multipliciori adulterio cumulantibus, adhoc hac oportunitate,, laicis insurgentibus contra sacros ordines,, & se ab omni ecclesiastica subiectione excutientibus: laici sacra mysteria temerant,, & de his disputant, infantes baptizant, sordido humore auriū pro sacro oleo et chrismate vtentes, in extremo vitę viaticum domínicum & vsitatum ecclesiæ obsequium,, sepulturæ à præsbyteris coniugatis accipere,, paruipendunt. Decimas præsbyteris deputatas igne cremant: & vt in vno cætera perpendas, laici corpus Domini à præsbyteris,, coniugatis consecratum, sæpe pedibus conculcauerunt, & sanguinem Domini voluntariè effuderunt, & multa alia contra ius & fas gesta in ecclesia sunt. Et hac occasione,, multi pseudomagistri exurgẽtes in ecclesia,, prophanis nouitatibus plœbem ab ecclesiastica disciplina auertunt. Hucusque *Sigebertus*. Cui consentit Matt. Paris. ano. 1074. Forte alludit ad solutionẽ Magistri.

Ecce huius temporis tragœdiam, quā an suis scriptis importuni' excitarint quidam pseudomagistri exurgẽtes in ecclesia, quales

postea in scripto *Anselmi* videre licet, ipse Lector per te considera. Certè huius seueritatis tãdem pœnituit *Gregorium* prædictũ, qui de vita migraturus & ad se reuersus, non solum de hac inhumanitate in ecclesiam introducta ingemuit, sed & liuoris & odij sui erga *Henricum* Imperatorem quartum magno cum luctu fertur pœnituisse, quod subscripto prædicti *Sigisberti* sermone confirmatur, sic dicentis. De hoc ita scriptum reperi.

« Volumus vos scire qui ecclesiasticæ cu-
« ræ solliciti estis, quòd dominus apostolicus
« *Hildebrandus* nunc in extremis suis ad se
« vocauit vnum ex.xij. Cardinalibus, quem
« multum diligebat præ cęteris, & confessus
« est Deo, & sancto Petro, & toti ecclesiæ,
« se valdè peccasse in Pastorali cura, quæ ei
« ad regendum commissa erat, & suadente
« diabolo contra humanum genus odium &
« iram concitasse: sententiam verò quę in or-
« be terrarum effusa est pro augmento chri-
« stianitatis cœpisse dicebat. Tunc demũ mi-
« sit confessorem suum prędictum ad impe-
« ratorem & curiam Romanam, & ad totam
« ecclesiam vt optaret illi indulgentiam, quia

finem

finem vitæ ſuæ aſpiciebat. Et citò dicebat ,,
angelicam veſtem ſe induturum, & dimiſit ,,
ac diſſoluit vincula omnium bannorũ ſuo- ,,
rum Imperatori, & omni populo chriſtia- ,,
no viuis & defunctis,clericis & laicis. &c. ,,
Hæc prædictus Scriptor.

Sanè harum turbarũ meminit etiã Lambertus Schafnaburgenſis, illius tẽporis ſcriptor, in hunc modum.

Hildebrandus Papa cum epiſcopis Italiæ conueniens iam frequẽtibus ſynodis decreuerat,vt ſecundum inſtituta antiquorũ canonũ,preſbyteri vxores nõ habeant,habentes aut dimittant,aut deponantur,nec quiſquam omnino ad ſacerdotium admittatur, qui non inperpetuũ continentiam vitãque cœlibem profiteatur. Hoc decreto per totã Italiam promulgato, crebras literas ad epiſcopos Galliarum tranſmittebat,prẽcipiens, vt ipſi quoque in ſuis eccleſijs ſimiliter facerent,atque à contubernio ſacerdotũ omnes omnino fœminas perpetuo anathemate reſecarent. Aduerſus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorũ hominẽ planè hæreticum & veſani dogmatis eſſe clamitans,qui oblitus ſermonis do-

mini,quo ait,non omnes capiunt hoc verbum,qui potest capere capiat. Et apostolus, qui se nō cōtinet nubat,melius enim est nubere quàm vri, violenta exactione homines viuere cogeret ritu angelorum, & dum cōsuetum cursum naturæ negaret,fornicationi & immunditię frena laxaret,quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotiū quàm coniugium deserere,& tunc visurum eum cui homines forderent, vnde gubernandis per ecclesiam dei plebibus angelos comparaturus esset. Nihilominus ille instabat & assiduis legationibus Episcopos omnes socordię ac desidiæ arguebat, & nisi ocyus iniunctum sibi negotium exequerētur,apostolica se censura in eos animaduersurum cōminabatur. Archiepiscopus Moguntinus sciens nō paruo constare operam hanc,vt tanto tempore inolitam consuetudinem reuelleret, atque ad rudimenta nascētis ecclesię senescētem iam mundū reformaret,moderatius agebat cum eis,& primo eis in dimidium annum inducias, & deliberandi copiam dedit, hortās eos,vt quod necessario faciendum sit,spōte faciant, & tam sibi quàm Romano pontifici necessitatem adi-

udimant aliquid in eos, quod secus fit decernendi. Ad vltimũ congregata synodo in Erfordia mense Octobri pressius iam immínebat, vt relegata omni tergiuersatione inpręsentiarum aut coniugiũ abiurarent, aut sacri altaris ministerio se abdicarent. Multas ecõtrà illi rationes asserebant, quibus instãtis perurgẽtisq; improbitatem eludere, sentẽtiamq; cassare niterentur. Cumq; aduersus apostolicæ sedis authoritatem, qua se ille ad hanc exactionem, præter voluntatẽ propriã compulsum obtendebat, nihil argumenta, nihil supplicationes precesq; proficerent, egressi tanquam ad consultandũ, consilium ineunt, vt in synodum non redeant, sed iniussi omnes in domos suas discedant. Nonnulli etiam confusis vocibus clamitabant, melius sibi videri, vt in sinodum regressi ipsum episcopum priusquã execrabilem aduersum se sententiã promulgaret, Cathedra Episcopali deturbarent, & merita morte mulctato, insignè monimẽtum ad posteros transmitterent, ne quis deinceps successorũ eius talem sacerdotali nomini calumniam struere tentaret. Cum ad Episcopum relatũ esset, hoc eos machinari, cõmonitus à suis,

vt tumultū qui oriebatur matura moderatione prꝫuerteret, misit ad eos foràs, rogauitq; vt sedato pectore in synodum regrederētur, se cum primū oportunitas arrisisset, Romā missurum, & dominū Apostolicum si qua posset ratione ab hac sententiæ austeritate deducturum. &c. Ita soluta est hæc Synodus. Anno domini. 1074.

Negotiū ita dilatum est in annum sequētem, frequentes bullæ, frequentes nuncij è Roma veniebant, eo anno quibus ira pontificis in non obtemperantes sacerdotes significabatur, & minabantur episcopo & clero Mogūtino anathemata & execrationes. Quare statim post annum synodus ecclesiꝫ Moguntinensis diocesis est congregata in vrbe Moguntia. Adueniebāt etiam alij ecclesiastici prælati, inter quos erat Curiensis Episcopus qui linguæ facundia vir potens erat, veniebāt autem vt caueret schisma ecclesiꝫ quod prꝫuidebāt futurū ex sacerdotū Mogūtinæ ecclesiꝫ cōtentione cū Romano pontifice. Aderat etiam apostolicus ex Roma legatus cum bullis pōtificijs quꝫ cōtinebant horrendas minas, nisi statim absq; vlla disputatione & tergiuersatione aut vxores repu-

repudiarēt, aut ſe miniſterio altaris abdicarent. Hoc cū epiſcopus vrgeret Mogūtinus (contra tamen ſuā voluntatem et conſcientiam, quod non ſemel tantum faſſus eſt) vrgeret epiſcopus Curienſis, & alij qui aderāt, vt inducerent ad obediētiam clerum eccleſię Moguntinenſis. Quidam audatioris ſpiritus (quanquam prohibitum erat mandato dñi Papę, & viua voce legati apoſtolici Romani) contra ſententiā Romanę ſedis multis magna voce diſſerebant. Nonnulli, pauci tamen, vel timentes famem, ſi eſſent ſacerdotia relinquenda, vel alioqui non amantes vxores, libenter vxores cōcubinis cōmutantes, reſponderunt ſe eccleſiaſticis conſtitutionibus ſacroſanctæ ſynodi obtemperaturos. Horū quidā poſtea clàm vſi ſunt vxoribus ſuis, retinuerēque ſic vxores & ſacerdotia: hi vero qui ſuas vxores non amabāt, vel cum ancillis ſuis, vel cum adulteris mulieribus, quas multas ipſi fecerunt, vel cum vulgari immunda meretricum turba cōſuetudinem habuerunt, loco vxorum. Hi autē qui contra prędictam fidem vxoribus & aduerſus Dei conſtitutionem, putabant ſalua cōſcientia dei præcepto deſpecto, hominum

num constitutionibus obsequi non licere, nihil aliud responderunt quam sentẽtias ex scriptura, & disputando molesti apostolico legato fuerunt, qui occluserat aures suas ad eorum argumenta. Itaq; mandatum est illis vt relictis suis quibus præerant ecclesijs alio se conferrent, ne turbarent eos qui in eorum locum essent mittendi. Si quis aliter faceret excommunicationem animę simul & corporis interitum præsentissimum expectaret. &c.

Hæc sunt (candide Lector) quorum te participem esse volui, quibus diligenter ꝓ temporum & authoritatum ratione examinatis, te ipso iudice, feras sententiam. Si quid ex horum lectione reportaueris commodi, tu fac reddas Deo gratias, ego lætabor. VALE.

Epistola prima Volusiani Carthaginensis Episcopi, ad Nicolaum primum Roma. Pontif. circa annum Do. 865.

HEc est rescriptio Volusiani Carthaginẽsis Episcopi, in qua Papæ Nicholao de continentia clericorum nõ iustè sed impiè, nec canonicè sed indiscretè tractanti, ita respondit. Nicholao domino & patri peruigili sanctæ Romanæ ecclesiæ prouisori, Volusianus solo nomine Episcopus, amorẽ vt filius, timorem vt seruus. Cũ tua, ô pater et Domine decreta super Clericorum continentia nuper mihi transmissa, à discretione inuenirem aliena, timor me turbauit cũ tristitia, timor quidẽ propter hoc quod dicitur. Pastoris sentẽtia siue iusta siue iniusta, timenda est. Timebã enim infirmis scripturæ auditoribus, qui vel iustæ vix obediunt sentẽtiæ, ne iniustam conculcantes liberè: onerosã immò importabili pastoris præuaricatiõe præcepti se obligarent. Tristitia vero velcõpassio, consi-

cõsiderabã enim qua ratiõe mẽbra posſent carere capite ſuo, tã graui morbo laborãte. Quid enim grauius? quid totius eccleſiæ compaßione dignius, q̃ te ſummæ ſedis pontificẽ (ad quem totius eccleſiæ ſpectat examen) à ſancta diſcretione, vel minimũ exorbitare? Non parum ab hoc deuiaſti, cũ clericos quos ad abſtinentiam coniugij monere debeas, ad hãc imperioſa quadam violentia cogi volebas. Nunquidnã meritò communi omnium ſapientium iuditio: hæc eſt violentia cõtra Euangelicã inſtitutionem ac ſancti Spiritus dictationẽ, cũ aliquis ad priuata Decreta cogitur exequenda. Cùm ergo plurima veteris ac noui Teſtamenti ſuppetãt exempla, ſanctam vt noſti diſcretionem dinoſcentia: tua rogo ne graue ſit paternitati vel pauca ex multis huic paginæ interſeri.

Dominus quidẽ in veteri lege Sacerdoti cõiugiũ cõſtituit, quod illi poſtmodum interdicere
" nõ legitur, ſed idẽ in Euangelio loquitur: Sũt
" Eunuchi qui ſe caſtrauerũt propter regnũ cœ-
" lorum, ſed non omnes hoc capiunt verbũ, qui
poteſt capere, capiat. Quapropter Apoſtolus
" quoq; ait: de virginibus præceptum domini nõ
" habeo, conſilium autem do. Qui etiam iuxta
præceptum Domini non omnes hoc conſilium
capere

capere cõsiderans: sed multos eiusdem consilij assentatores hominibus placere volentes, non Deo: pro falsa specie continentiæ, grauiora videns cõmittere: patrum scilicet vxores subagitare, masculorum ac pecudum amplexus nõ abhorrere, ne morbi huius conspersione vsq; ad pestilentiam conualescente, status nimium labefactaretur Ecclesiæ, propter fornicationem dixit: Vnusquisq; suã habeat vxorem. Quod specialiter ad laicos pertinere, idẽ mentiuntur hypocritæ: qui quamuis in quouis sanctissimo ordine constituti, alienis tamen vxoribus non dubitant abuti, et (quod flendo dicimus) in supradictis sæuiunt sceleribus. Hi nimirum non rectè scripturam intellexerunt, cuius mamillæ quàm durius præssũt sanguinem pro lacte biberunt. Nam illud Apostolicum, vnusquisq; habeat suam vxorem, nullũ excipit vere, nisi professorem continentiæ, vel eum qui in domino præfixit de continuanda virginitate. Quod nihilominus tuam, Pater venerande, condecet strenuitatem, vt hominem qui tibi vel manu vel ore votũ faciens, postea voluit apostatare: aut ad votũ exequendum, ex debito constringas, aut ab omni ordine Canonica authoritate deponas. Et ut hoc implere viriliter sufficias:

me, meiq; ordinis omnes viros adiutores habebis, non pigros. Verùm vt voti huius nescios omnino scias non esse cogendos, audi Apostolum dicentem ad Timotheũ: Oportet, inquit, episcopum irreprahensibilem esse, vnius vxoris virum. Quam ne quis sententiam ad solam verteret Ecclesiam, subiunxit. Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam adhibebit? Similiter inquit, Diaconos sint vniꝰ vxoris viri, qui filijs benè præsint & suis domibus. Hanc autem vxorem benedicendam esse à Sacerdote, Sancti Siluestri Papæ decreta scio te sufficienter docuisse. His et huiusce modi sententijs sancta scriptura, regulæ Clericorum scriptor, non immerito concordans, ait. Clericus sit pudicus, aut certè vnius matrimonij vinculo fœderetur. Ex quibꝰ omnibus veraciter Episcopus & Diaconus reprahensibiles notantur, si in mulieribus diuiduntur. Si verò vnam sub obtentu religionis abijciunt, vtrunq; scilicet Episcopum & Diaconum sine graduum differentia, hac canonica sentẽtia damnat. Episcopus aut presbyter vxorem propriam nequaquã sub obtentu religionis, abijciat. Si verò reiecerit, excõmunicetur: si autẽ perseuerauerit, deijciatur. Sãctus quoq;

Augustꝰ.

August. sanctæ discretionis nõ inscius, Nullum (inquit) tam grauè facinus quin admittendũ sit, vt deuitetur peius. Legimus praterea in secũdo libro Tripartitæ historiæ Ecclesiasticæ, quod cum Synodus Nicea, hæc eadem vellet sancire decreta, vt videlicet Episcopi, præsbyteri, diaconi, post consecrationem à proprijs vxoribus, vel omnino abstinerent, vel gradum deponerẽt. Surgens in medio Pafnutius, vnus ex illis martyribus quos Maximianus imperator eorum oculis dextris euulsis, et sinistris suris incisis damnauit, contradixit, honorabiles confessus esse nuptias, castitatem esse dicens concubitum cum propria vxore. Persuasitq; concilio ne talem ponerent legem, grauem asserens esse causam, quæ aut ipsis aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Pafnutius licet nuptiarũ expers exposuit. Synodusq; laudauit sententiam eius, et nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in vnius cuiusq; voluntate non in necessitate dimisit. Sunt vero aliqui qui sanctum Grego. suæ sectæ sumunt adiutorem, quorum quidem temeritatem rideo, ignorantiam doleo. Ignorant enim quod periculosum huius hæresis decretũ à S. Gregorio factum, cum digno pœnitẽtiæ fructu

postmodũ ab eodem sit purgatum. Quippe eũ vice quadam in vinarium suum propter pisces afferendos misisset, & allata indè plusquã sex millia infantum capita videret, intima mox ductus pœnitentia ingemuit. Et factum à se de abstinentia decretum tantæ cædis causam esse fuisse confessus, cũ digno (vt dixi) illud fructu pœnitẽtiæ purgauit, suoq; decreto prorsus damnato, apostolicũ illud laudauit consultũ. Melius est nubere quàm vri, addens ex sui parte. Melius est nubere, quàm occasionem mortis præbere. Hunc forsitan rei euentum si illi mecum legissent, non tam temere credo deinceps indicarent dominicũ saltem timentes præceptum. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Cesset ergo tua sanctitas cogere, quos tantum debet ammonere, ne priuato quod absit præcepto veteri & nouo, cõtrarius inueniaris testamento. Nam (vt ait Augustinus ad Donatum) Solum est quod in tua iustitia pertimescimus vt non pro lenitatis christianæ consideratione, sed pro immanitate facinorũ censeas coërcendum, quod te per ipsum Christum ne facias obsecramus. Sic enim peccata compescenda sunt: vt supersint quos peccasse pœnituit. Illud etiam Augustini volumus te recordari,

dari, quod ait. Nihil nocendi fiat cupiditate, »
omnia consulendi charitate, & nihil imma- »
niter nihil inhumaniter. Idem de eodem: In »
timore Christi, in nomine Christi exhortor, »
quicunq; non habetis temporalia, habere non »
concupiscatis, et quicunq; habetis, in eis non »
præsumatis. Si propter talia magni videami- »
ni, si generis humani considerationem cõmu- »
nem propter excellẽtem * vanitatẽ obliuisca- » al. vni-
mini. Quod nimirum poculum discretionis » tatem.
ex illo fonte Apostolicæ hauserat prædicationis
qui dicebat. Solutus es ab vxore, noli quærere »
vxorem. Alligatus es vxori, noli quærere so- »
lutionem. Vnde & subditur. Qui habent »
vxores tanquam non habentes, & qui vtun- »
tur hoc mundo tanquam non vtantur. Idem »
dicit de vidua: cui vult nubat, tantum in do- »
mino. Nubere in domino est nihil contrahen- »
do connubio, quod dicimus prohibeat attẽta-
re. Ieremias quoq; propheta: Nolite confidere,
ait, in verbis mendatij, dicentes. Templũ do- »
mini, templum domini, templum domini est. »
Quod Hieronymus exponẽs: Potest (inquit) »
& hoc virginibus illis conuenire, quæ iactant »
pudicitiã, & impudenti vultu præ se ferũt ca- »
stitatem, quum aliud habeat conscientia, & »
nesciunt

nesciunt illam definitionem apostoli virginalem, vt sit sancta corpore & spiritu. Quid enim prodest corporis pudicitia animo constuprato, si cateras virtutes quas propheticus sermo describit, nõ habuerit? Quas quidẽ quia te aliquatenus habere videmus, & quia discretionẽ licet in hac re neglectã, in alijs tamẽ vita tua institutionibus eã honestè cõseruatam non ignorauimus. Huius intentionis prauitatem te citò correcturum non desperamus: & ideo non quanta poßumus grauitate licet grauißimam negligentiam corripimus vel indicamus. Quanquàm enim secundum vocabula, quæ vßus obtinuit, sit episcopatus presbyterio maior, Augustinus Hieronymo maior est, licet à maiore non sit refugienda vel dedignanda correctio, præsertim cũ ille qui corripitur contra veritatem, & pro hominibus niti inuenitur. Neq; enim (vt ait sanctus Augustin⁹ ad Bonifaciũ) quorũlibet disputationes quãuis catholicorũ & laudatorũ virorũ, velut scripturas* catholicas habere debemus: vt non liceat nobis salua honorificentia, quod illis debetur aliquid in eorum scriptis improbare atq; respuere, si forte inuenerimus, quod aliter sentiant q̃ veritas habeat diuino adiutorio,

al. canonicas.

torio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Quid autem magis contrarium veritati potest inueniri quàm hoc? cum ipsa veritas de continentia loquens, non vnius hominis sed omnium planè, excepto numero professorum continentiæ dicat: Qui potest capere, capiat. Isti vnde nescitur instigati dicant. Qui non potest capere, feriatur anathemate. Quid verò pro hominibus fieri potest stolidius, quid diuinæ maledictioni obligatius, quàm cum aliqui eorum, vel Episcopi, vel Archidiaconi, ita præcipites sint in libidinem, vt neq; adulteria, neq; incestus, neq; masculorum (prôh pudor) turpissimos amplexus sciant abhorrere, casta reuera clericorum coniugia sibi dicant fetere: Et ab eis non veræ iustitiæ compassione, sed falsæ iustitiæ dedignatione, non vt conseruos rogent abstinere, sed vt seruos iubeant abstinere. Ad cuius imperij nec dicant consilij persuasione, tam fatuam addunt suggestionem, vt dicant: Honestius est occultè pluribus implicari, quàm apertè videlicet in hominũ conscientia cum vna iugari, quod profectò non dicerent, si ex illo vel in illo essent, qui dicit per Prophetam: Væ vobis, qui omnia facitis propter homines. Et p Psalmistam. Qui ho-

minibus placent confusi sunt, quoniam Dominus sprevit eos. Hæc propter homines qui prius deberent nobis persuadere in cõspectu eius, cuius oculis omnia nuda & aperta sunt, vt erubescamus peccatores esse, quàm in conspectu hominum homines esse. Licet ergo suæ meritò prauitatis nullius consilium mereantur pietatis, tamen memores humanitatis diuinæ, nos eis consilium authoritatis nunq̃ à pietate vacantes, per viscera ministramus charitatis. Dicimus enim: Hypocrita, eijce primum trabẽ de oculo tuo, et tũc perspicies vt educas festucã de oculo fratris tui. Illud quoq; rogamus eos attendere, quod Dominus dicit de Muliere: Qui sine peccato est vestrum, primum in eam lapidem mittat. Quasi diceret: Si lex iubet, si Moyses iubet, iubeo et ego: sed competentes legis ministros exigo, attẽdentes quod adducitis, attendite quæso & quid estis, quia sic te ipsum, ait scriptura, perspexeris, nulli vnq̃ detraxeris. Significatum est autem nobis, à quibusdam eorũ, quòd tanta apud se intumeant elatione, vt gregem Domini, pro quo boni pastores animas non dubitant ponere, isti & verberibus absq; ratione præsumant laniare. Quorum sentẽtiam sanctus Gregorius nimiũ de-

deplorans, Quid fiet (inquit) de ouibus quãdo pastores lupi fiunt? Sed quis vincitur, nisi qui sauit? Quis vero persecutionem iudicabit, nisi qui dorsum suũ ad flagella ministrauit? Operepretium est autẽ vt audiatur, quo fructu tantum ecclesiæ scandalum inducatur, quantum clerus despectum, vel ab ipsis Episcopis, vel ab eorum infidelibus patiatur. Nec enim eos infideles dicere dubitauerim, de quibus Paulus dicit ad Timotheum: Et in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendẽtes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendatium, & cauteriatam habentium suam conscientiã prohibentium nubere. Hic est autem, si diligẽter inspicitur totius eorum manipulus zizaniæ, totius euentus insaniæ, vt dum clerici licita, vnius mulieris cõsortia, phariſaico deiecti, quod absit, furore relinquere cogantur. Fornicatores & adulteri, & aliarum prauitatum turpißimi ministri cum ipsis efficiantur, qui hanc in ecclesiã Dei hæresim, sicut cæci duces cæcorum machinantur: vt videlicet impleatur, quod Psalmista cis, vtpote doctoribus erroris taliter impracatur: Obscurentur oculi eorum ne videant, qui Apostolicè ignorat.

norãt. Quod si tu ꝑ tui decreti sententiam tãtam futuram esse pestilentiam solitæ discretionis claritate perspexisses, debitæ tibi subiectionis fidelitate consulimus, vt vel nunc ad tanti scandali ab ecclesia propulsionem euigiles, & postquã nosti discretionis disciplinam, pharisaicam ab oculis Dei exstirpes doctrinam, ne scilicet vnica Sunamitis adulterinis, diutius abusa maritis, gẽtem sanctam, regale sacerdotium, per irrecuperabile à suo sponso, videlicet auellat diuortium: Dũ nemo sine castimonia non tantum in virginali flore, sed etiam in cõiugali habita coniunctione visurus sit Dominum.

Altera Epistola Volusiani Carthaginensis Episcopi, ad Nicolaum primum Roman. Pontif. circa annum Do. 865.

CVm sub Liberi arbitrij potestate creati simus, & nõ sub lege, sed sub gratia quia creati sumus, viuamus, vos qui continentiæ legem nobis in vitis imponitis, liberi arbitrij nos potestate priuatis, quod nolumus velle, & quõd volumus nolle cogendo imperatis, & imperando cogitis, & legis vinculo, a quo ipsa gratia nos in libertatem liberati sumus, alligari, & spiritũ seruitutis, iterũ in timore accipere, ipsamq́ gratiam sine qua nihil facere possumus, omnino euacuare satagitis, ita vt sicut ait apostolus, ipsa gratia iam non sit gratia, et dei donũ, non sit dei donum, & non ex deo, sed ex homine, nec ex vocante, sed ex operante, cum idem Apostolus dicat, quia non est volentis neq́ currentis, sed Dei miserantis. Nam cum sint

tria Principalia, & quasi effectiua, per qua omnis anima humana capax est, et cõpos rationis, quicquid spiritualis boni apprahẽdere et percipere potest, apprahendit & percipit, & sine quibus nihil prorsus capere possit: liberum arbitrium videlicet, mãdatum & gratia. Libero enim arbitrio bona à malo discernimus atq; eligimus, mandato ad omnia facienda prouocamur ac incitamur, gratia promouemur & adiuuamur. Horum omnium tamen gratia domina est & magistra, & quasi prapotens imperatrix & regina, ad cuius nutum cætera pendent, & ab ea vim et efficatiã expectant, & sine illa nihil prævalent, sed quasi stolida et mortua sicut materia sine forma iacent et subiacent. Loco enim materia secundũ propositionem aliquã liberum arbitrium possumus accipere, non incongruè: gratiam vero loco formæ: mandatum autem quod medium est, quasi instrumentum, ad vtrunque respicere, quo summus artifex dominus liberum arbitrium, quasi stolidam materiam moueat & ꝓmoueat, & formam gratiæ illi componat. Et sicut materia sine forma est horrida & deformis, ita liberum arbitrium est horridum & deforme, sine gratia superueniente se

mouente

mouente et promouente, mandato medio quasi instrumẽto, vt diximus, interueniente. Quod ergo est forma in materia, hoc in libero arbitrio per quãdam similitudinem est & gratia. Et quod materia sub forma, hoc idem & libera voluntas sub gratia. Et item: Quod est instrumentum ipsorum, hoc & mandatum ad vtrunq; istorum. Instrumentum nanq; sordidam materiam & horridam atq; asperam, obscuram, & quasi cœcam emaculat, & expolit, & claram & planam & lucidã forma superueniente reddit. Sic & mandatum, liberũ arbitrium sordidum & horridum asperum & incultum, obscurum & cœcum, nitidat & comit, lenit & excolit, lucidat et illuminat. Sicut Propheta dicit: Præceptum Dñi lucidũ, illuminans oculos, splendore gratiæ superueniente. Et sicut materia & instrumentum sine forma nihil valent, ita libera voluntas et mãdatum sine gratia nihil virtutis habẽt. Quid enim liberum arbitrium vel mandatum sine gratia præueniente & subsequẽte potest? Gratia nanq; ad liberum arbitrium mandatum quasi nuntium ac famulum mittit. Mandatũ liberum arbitrium prouocat, atq; quasi sopitũ excitat, vt ad bona facienda euigilet & exurgat,

gat, viamq; ei quam pergere debeat, quasi cæco deducendo demonstrat. Quorum vtrunq; si à gratia deseritur, nihil omnino per se posse probatur. Quod si conatur, deficit non proficit, neq; etiam efficit vel proficit. Si præsumit non assumit, sed potius totam operam & laborem frustrà consumit. Cum enim mandatum seu per hominem siue per angelum mittitur, et cũ liberũ arbitrium seu humano seu angelico mandati nuntio commouetur et prouocatur et instruitur, nisi diuina gratia comitetur, præueniat & subsequatur, quid valebit? Quid nempe valuit homini in Paradiso posito mandatum quod audiuit, Ex omni ligno Paradiso comede, de ligno verò scientiæ boni & mali ne comedas? nihil prorsus ad salutem, sed potius ad condemnationem. Quare? Quia gratia saluatrix & auxiliatrix defuit, quã ille iniustè suis viribus fisus contempsit. Aut quid valuit Israëlitico populo in heremo constituto mandatum legis, quod per Moysen accepit, cui obedire neglexit? Aut quid profuit illi qui dominum sequi suo arbitrio, & non illius vocatione præsumit, dicens illi: Domine sequar, te quocunq; ieris? Ex multis alijs diuinæ scripturæ locis noui ac veteris testamenti demonstrari

strari potest, quod neq; mandatum, neq; liberū arbitrium, per se quicq; valet, nisi diuina gratia præueniendo et subsequendo adiuuet. Cum igitur cōtinentia bonum, imò omne bonum solius sit diuinæ gratiæ donum, nec per mandatum, nec per liberum arbitrium comprehendatur, errant & frustra laborant, qui se suis viribus illud apprehendere tentant. Illi igitur magis errant, qui hoc inuitis & nolentibus imperāt, & non spontaneè sed coactè in sanctuarium Dei dona offerre suadent, nescientes, ne obliti illius quod Dominus Moysi, & Moyses à domino præcepit, dicens: Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius et prono animo offerat eas domino. Quid est separare apud vos primitias Domino, nisi studiosa cogitatione, & meditatione in cordibus vestris tractare, & cū discretione deponere & diuidere? quid Deo de thesauro cordis nostri valeamus offerre? Si enim rectè offeras, & nō rectè diuidas, peccasti. Et quid est pno animo offerre, nisi quod ait Psalmista, Voluntariè sacrificabo tibi? Et Apostolus: Non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Et Salomon. Bono animo gloriam redde Deo, & in omni dato hilarem fac

vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas, & in bono oculo facito adinuentionem manuum tuarum. Et apostolus Iacobus: Non amat dñs (inquit) coacta seruitia, & maledictus qui opus Dei facit negligenter, id est, non curiosè, neq; voluntariè. Sicut nos ergo dominus inuitos aliquid offerre nõ iubet, ita nos, inuitos aliquos offerre aliquid cogere, prohibet, per eundem Moysen vbi ait: Ne facias calumniam proximo tuo, nec vi opprimas eum. Calumniã proximo facere, est eum non compatiendo & miserando corrigere de peccato, sed dedignando & exprobrando, & detrahendo arguere et accusare, & non in spiritu lenitatis instruere, sed in spiritu asperitatis et austeritatis destruere. Cũ apostol⁹ dicat, Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum ne & tu tẽteris. Vi opprimere proximũ, est vltra vires suas aliquid exigere, & onus quod portare non potest imponere, imponentibus fortassis importabile, cum Dominus de Phariseis ad Discipulos loquens, hoc eis prohibeat, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisei, & catera. Et Apostolus Petrus: Pascite

(in-

(inquit) qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundum dominum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neq; dominantes vi in clero, sed forme estote gregi ex animo. Hinc pastor pastorum, princeps Apostolorum, quid cæteri pastores vel apostoli debeant facere, quomodo gregem domini sibi creditum tractare, apertè et pie demonstrat atq; insinuat, & quantam solicitudinem & compassionem erga subditos habere oporteat eis, inculcat. Et omnem potestatẽ tyrannicæ dominationis, vel ambitionem cupiditatis, quam quidam in subditos sibi exercent, ab eorum cordibus procul eliminat, & eos non dominos, sed patres subditorũ debere esse pronuntiat, neq; eis aliquid typo potentiæ imperare, sed zelo pietatis admonere, & obsecrare, iuxta vires vniuscuiusq; secundum dominum non secundum suæ voluntatis arbitrium, vel potestatis imperium, & illos formam esse gregi debere, vt quod alijs imperãt, ipsi priores faciant, & plus exemplis quã verbis proficiant. Ex animo (inquit) non ex imperio, ex voluntate, non coactione, ex charitate, non ex cupiditate. Sunt enim pleriq;, qui zelo cupiditatis, non charitatis accensi, alijs imperant, quæ im-

plere non valent. Et dum lucrum animarum quærere se simulant, lucrum potius terrenum captant. Quod bene Balaam propheta exprimit, qui prophetiæ donum et benedicendi gratiam, quã diuinitus acceperat, non ad vtilitatem aliorum, sed ad vsum suæ cupiditatis vertit. Et sunt nonnulli, qui dum alios corrigunt, hoc zelo dei facere se ostendũt, et dum meliores alijs se videri volunt, hac præsumptione quadam et temeritate agũt, & ideo in ipso præsũptionis suæ, & temeritatis actu corruunt, de quibus dicit Apostolus: Qui zelum Dei habent, sed non secũdum scientiam. Zelum Dei secundũ scientiã est habere, prouidè & consultè in diuinis rebus aliquid agere, quorum profecto Oza similitudinẽ gerit, qui dum arcam domini, calcitrantibus bobus qui eã portabãt, inclinatam parumper erigere voluit, mox dum ad eam manum tetendit, mortuus cecidit. Arcam Domini, calcitrantibus bobus inclinari, est legem Domini, quã sacerdotes portare & tenere debent, illi ab eis nõ obseruando contradici, & quasi à recto statu in diuersam partẽ flecti, quã Oza, qui aditor Dei interpretatur, erigere tentat: quia sunt quidã prælati, qui dum sacerdotalem ordinem ipsam legem diui-

nam

nam in aliquo excessu, vel leniter à suæ rectitudinis via quasi inclinare, & in aliam partẽ flectere vident, eamq; inclinationem castigare et corrigere magis virtutis suæ attentatione quàm diuina emulatione præsumunt. Et quia hoc inconsultè agũt, dum adiutores Dei videri appetunt, plerunq; mortaliter in deterius cadunt. Sunt et alij qui nullã infirmitatis humanæ considerationẽ, nec vllum misericordiæ respectum & compassionis affectũ habent, & cũ apostolo dicere nesciẽtes, Quis infirmatur, & ego non infirmor? dũ se subditis non cõditione, qua pares, sed authoritate, qua superiores sunt, conferunt, atq; magistri videri, & plus præesse q̃ prodesse cupiunt, illorum infirmitatẽ vi dominationis premunt, & eos sibi obedire compellunt. Quod niminum illi facto figuratur, quod de Simone Cyrenæo in Euangelio legitur, quem angariauerũt persecutores domini vt tolleret crucẽ eius, cuius etiam nomen huic figuræ conuenienter aptatur. Symon nanq; interpretatur obediens: Simon verò, id est obediens, crucem domini portare angariatur. Cũ subiecti quiq; à suis magistris vi dominationis vel authoritatis, vel anathematis præsti, & eis obedire compulsi, crucem continentiæ pa-

patiuntur inuiti, ipsamq; crucem quã portant. non amant, quia eam plus ad pernitiem suam, quã ad salutem portant, nec ipsa cruce peccato moriuntur, sed potius ipsi peccato vinificãtur. Nam & alia peccata grauiora exinde oriuntur. Inhibito enim naturali vnius mulieris cõiugio, surrepit, non naturalis, sed contra naturam, execrabilis Sodomitica fornicatio, surrepit illicita, & damnabilis, non legitima, sed cõtra legẽ alienæ vxoris cõtaminatio, nec nõ etiam, & meretricabilis nefanda pollutio. Quin etiam abhominabilis omnibus parentalis incestatio, vel aliarum multarum immunditiarũ, vel libidinũ à diabolo inuentarũ, id genus, in quibus humana infirmitas periclitatur. Vnde Loth de Sodomitico incẽdio, angelo domini educẽte, ereptus, et vxoris consortio viduatus, dum suæ infirmitatis conscius ad montana non ausus est angelo monente ascendere, ipse in Segor parua ciuitate, quæ iuxta erat, elegit habitare, ipso angelo præcipiente, & sic ad eum loquente. Salua animam tuã, noli respicere post tergum, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. Cui dixit Loth: Quæso Domine mi, quia inuenit seruus gratiam coram te, ut saluares me. Non possum in monte saluari, ne

forte

forte apprehendat me malum, & moriar. Est ciuitas iuxta hic, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea. Quid est, quod Loth à Sodomis fugiens, præcipiēte angelo, vt in mōte saluaretur, montem ascendere, quia ibi mori timebat, noluit, sed Segor paruam Ciuitatem iuxta montem positam, vt in ea saluaretur, ad habitandum elegit: nisi quicūq; fideliū Sodomiticæ libidinis incēdium, & periculum euadere cupiens, dum celsitudinem virginalem nō valet, castitatis vidualis timet ascendere, ne in ea periclitetur, ad cōiugalem copulam, cum ad vtranq; continentiā paruula est, & vtraq; proxima confugit. Namq; post continentias supradictas, hæc castitas probatur laudabilis, & non priuatur præmio regni cælestis. Ad hanc castitatem qui non potest continere, iubetur accedere, et in ea saluari, ne forte si montem ascenderit, apprehendat eum malum, & moriatur, id est, ne si continētiam non sibi diuinitus concessam suis viribus obtinere tentauerit, malum incontinentiæ, vel fornicationis aliquarum supradictarū pestiū eum apprehendat, et in eis mortaliter pereat. Sūt enim multi qui dū infirmitatem suā nō considerant, et dū maiora se apprehendere conātur, ipsa sua præcipi-

cipitatione retroacti, in deteriora labuntur. Quia dum maiora invõsultiui ambiunt, minora, qua tenere videbãtur, amittunt. Quod suauè exemplo ipsius Loth apertè demõstratur, qui dum relicta Segor, quam ad habitandum elegerat, et in qua saluari petierat, in montem ascendit, ibiq; mansit, in incestum filiarum suarum ipsarũ surreptione corruit, sicut Scriptura dicit: Ita nanq; scriptum est: Ascendit Loth de Segor, & mansit in monte, dederunt q; filiæ patri suo bibere vinũ nocte illa, et ingressa est maior, dormiuitq; cum patre. Quod nequaquã sibi contingeret, si in Segor, in qua saluari poterat, ad præceptum angeli, sicut ille postulauerat, remaneret. Sed quia hoc, quod sibi ab angelo concessum fuerat dereliquit, et quod concessum non fuerat, id postea sua voluntate contra præceptum angeli presumpsit, salutis suæ dispendium pertulit, & graue incesti ũ peccatum incurrit. Sic plerisq; cõtingit, qui dum id, quod sibi concessum est à deo relinquũt, et id, quod sibi concessum non est, ambiunt, et illud quod sibi concessum est, perdunt, et illud quod sibi concessum non est, apprehendant. Quia sunt nonnulli qui dum coniugalem vitam, qua sibi concessa est, et in qua saluari potest, vel

poßent,

*posſent, vel inuiti vel volentes deſerunt, et maiori profectus deſiderio cœlibem vitam actitare ſatagent, ſalutem quã nullam habere poterant perdunt, et periculum mãximum in ista incurrunt, & ex quo proficere conabãtur, magis deficiunt. Et ſicut ſupra diximus, in maioris ruinæ voraginem vergunt. Quod bene doctor gentium Paulus conſiderans, et infirmis quibuſq; benignè proſpiciens Corinthijs, ſuper his ſcriptis ſuis ſe conſulentius ita reſcripſit, dicens: De quibus autem ſcripſiſtis mihi bonum homini eſt mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, & vnaquæque virum ſuum habeat, et vxori vir debitum reddat. Similiter vxor viro. Et poſt pauca: Nolite (inquit) fraudari inuicem, niſi fortè ex cõſenſu ad tempus vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipſum, ne tentet vos Sathanas propter incontinẽtiam veſtram. Quoniã, ſicut ait Poëta, non omnia poſſumus omnes: & ſicut Apoſtolus idem in ſuperioribus dixit: quia nõ eſt volentis neq; currentis, ſed Dei miſerentis. Et alibi. » Quia vnicuique noſtrum data eſt gratia ſe- »
cundum menſuram donationis Chriſti. Hanc »
menſuram vnicuique tenendam, nec tranſgre-*

diendam esse docens mox intulit. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium habet donum ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic, qua videlicet mensura nos arcendos, & debere esse contentos in sequentibus intimauit, dicens: Vnumquemque sicut vocauit Deus, ita ambulet. Et vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in hac permaneat apud Deum. Et hac idē repetit paulo inferius causa confirmationis. Vnusquisq; in quo vocatus est, frater, in hoc permaneat apud Dñm. Et quia infirmitatem humanam videbat non posse tolerare incentiua genuini caloris nisi per gratiam dei, neq; vincere pugnam carnis aduersus spiritum, & quia sic ipse dixit de se alibi. Videbam aliā legē in mēbris meis repugnantē legi mentis nostræ. Hoc se misericorditer & compatienter, & vnanimiter, non regulariter neq; imperatiuè dixisse, sicut in alia Epistola monstrauerat, vbi ait: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Et in hac ista paulò superius in eodē stemate, vbi ait: Hoc autem dico secundū indulgentiam, non secundum imperium subdendo demonstrat. De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tan-

tanquã misericordiam à Deo consequutus, vt sim fidelis, id est, ea misericordia qua mihi dominus consuluit, quando ad fidem me vocauit, & sibi fidelem fecit. Et ego aliis consulo, & eandem misericordiam illis impendo.

Et quoniam bonum est vtrunq3, cum vxore esse, & sine vxore esse, & cum viro esse, et cum viro non esse, neq3 peccatum est vel cum vxore esse, vel cum viro esse, mox subinfert, dicens: Estimo ergo bonum esse, propter instantem necessitatem, quoniã bonum est homini esse sic. Quid est propter instãtẽ necessitatem? Quæ est necessitas instãs nisi infirmitas præsens, vel necessitas instans est necessitas vrgens et cogẽs prout necessitas extiterit vel cogerit? vel instãtem necessitatem dicit, illius temporis necessitatem & angustiam quæ tunc instabat, & eum cogebat, vt talia scriberet, & eis sic indulgeret, causa scilicet vitandæ fornicationis, quæ tunc tẽporis acciderat, & aliarum multarum fornicationum supradictarum quæ cõtingere possint: Pro qua fornicatione hoc inceptat, & sibi scribentibus rescripsit. Et Corinthijs in superioribus huius epistolæ vehemẽter inuectus, in hæc verba prorũpit: Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate, &

spiritu mansuetudinis? Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui quis habeat? Propter hanc ergo necessitatem vitandæ fornicationis dicit bonum esse homini, sic esse, vt si continere non potest, nubat vel vxorem accipiat. Quod exponendo subdit: Alligatus es vxori, noli quærere solutionem: Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si autẽ acceperis vxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit. Et hoc iterum, non separando, sed indulgendo & compatiendo se dixisse ostendit. Ego autem vobis parco, id est, infirmitati vestræ cedo. Hoc itaque in potestate voluntatis vniuscuiusque posuit, vtrum velit eligere, nec se dicit cuiquã violentiam inferre, nec laqueum quo eum astringat & teneat iniycere, consequenter subiungẽs. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniyciam, sed ait quod honestũ est & quod facultatem præbeat, sine impedimento dominũ obsecrandi. Hoc dicit illis quos ad continentiam superius hortatus fuerat, & quos consortio vxoriæ coniunctionis impediri, vel sollicitos esse nolebat. Alijs vero ita dicit: Si quis autem turpẽ videri se existimat, super virginem

suam

suam, quod sit super adulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat, non peccat si nubat, & iterum vtrunq; bonum esse, vnum tamen melius esse concludendo confirmat. Igitur qui matrimonio coniungit virginem suam benefacit, & qui non iungit, melius facit. Quod concordatur superiori sentẽtiæ vtriq; sexui datæ, in qua ait: Si acceperis vxorem non peccasti, & si nupserit virgo, nõ peccauit. Si ergo virum accipere vxorem, et virginem nubere, iuxta apostolum peccatum non est, & beatitudinem nõ aufert, sed affert, & quia vterq; benefacit, ideo ambo beati, nos qui vxores propter infirmitatẽ habemus, quid habendo peccamus? Aut si apostolus vnicuiq; propter fornicationem vxorẽ suã habere indulget & permittit, cur nos qui ex eadẽ massa sumus, & carnẽ peccati ex carne Adæ peccatricẽ traximus, cõtinere non possumus, propter eandem causam, & secundum eandem indulgentiam vxores habere non permittimur, & habitas dimittere angariamur? Aut itaq; vxores nobis habere (imitãtes apostolum) habere permittite, aut nos ex eadem massa non esse docete, aut nobis eãdem indulgentiam & promißionem nõ esse conceßam ab apostolo demonstrate. Quod opinor fortaße

dicturi estis, quia hac indulgentia non fuit data ab apostolo clericis, aut alicui nostri ordinis nisi solis laicis. Quod ex verbis ipsius apostoli neq; ex circumstantia epistolæ illius non facile potest defendi, cum nulla ibi certa distinctio vel denominatio habeatur, per sanctarum, vel graduũ, siue professionum, nec ipse discernit seu nominibus seu officijs, vel qui sibi scripserit, vel de quibus vel quibus ipse rescribat, nisi tãtum generaliter omni ecclesiæ Corinthiorum, sicut ipse in principio huius epistolæ his verbis demonstrat. Paulus vocatus apostolus Christi Iesu, per voluntatem Dei, & Sostenes frater ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu vocatis sanctis cum omnibus qui inuocant nomen Domini. Nisi forsan intelligam° sanctificatos, vocatos, sanctos, sacerdotes, & Leuitas quos ipse sanctificauerat, id est, cõsecrauerat. Cæteros omnes de quibus ait, qui inuocant nomen domini laicos, et omnem populum vtriusq; sexus, quos nimirum sacerdotes illos qui sibi scripserit, & qui eum super peccato fornicationis quod acciderat cõsuluerũt, recte possumus accipere. Illos autẽ vel de quibus, vel propter quos ipsi ei scripserunt, vel de quibus ipse eis rescripsit, nõ facile aduertimus,

nec

nec compertum habemus, qui fuerunt, cuiusue professionis vel ordinis, Clerici an laici. Nisi quod Ioannes Chrysostomus in homelia de reparatione lapsi dicit: Quosdam tradidisse eũ qui in illam fornicationem ceciderant fuisse ex ordine sacerdotali. Quod ex affectu compassionis et doloris, necnõ et ex verbis ipsius apostoli aliquantulum, sed latenter et callidè possumus subolere, qui tãta indignatione ex eo masse inuehitur in eos, ceteros videlicet sacerdotes qui eum qui hoc peccatum fecerat, corripere et plangere, & ad pœnitentiam suis exhortationibus ꝓuocare debuerãt, causa superbiæ et virtutis suæ iactãtia et ostentatione neglexerãt, et pro castitate quã habebant, illũ qui lapsus fuerat, despiciebãt et vindicabãt. Quibus post supradictam obiurgationem ita dicit. Et vos inflati estis, & non magis luctũ habuistis, vt tollatur de medio vestrũ qui hoc opus fecit? Et post pauca, non est bona gloria vestra: et quia ille qui ciderat de his qui intus erant, hoc est de sacerdotibus fuerat in sequentibus demonstrat. Quid enim mihi (inquit) de his qui foris sunt iudicare, nõne de his qui intus sunt iudicatis? Intº enim sunt sacerdotes, id est in Sãctuario, vbi semper excubare,

id

id est vigilijs et orationibus vacare in lege iubentur. De his ergo iudicabant illi, qui pro sua iustitia inflati, peccatorem quem lugere, et ad pœnitentiam hortari debuerant contemnebãt. Quibus in superioribus præceperat, ne aliquẽ iudicarent. Nolite, inquit, ante tẽpº iudicare.

His etiam & alijs præcedentibus vel subsequentibus verbis opinabile potest videri, eũ qui ceciderat, secundum Chrysostomum fuisse ex ordine sacerdotali. Et ne ordo tantus infamaretur, apostolum noluisse apertiùs diffamari, & ideo latenter, & cautè ad correptionem & aliorum protectionem ne similiter caderent subintrare, et eorum infirmitatibus prouidere, & ad salutis remedium prætendere, & indulgentiam supradictam exhibere. Illud vero de sacerdotibus hoc loco scripsisse, & hanc indulgentiam illis dedisse, secũdũ opinionem nostrã aperti innuit, quod ait: Nisi fortè ad tempus vt vacetis orationi, quoniam (vt ait Ecclesiastes:) Omnia tempus habent, & tempus est amplexandi, & tempus est longè fieri ab amplexibus. Tempus vacandi orationi dicit, vel tempus dominicorum dierum, quando sacerdotes debent sacra Missarum solennia celebrare, & totam operam & animam illi orationi

tioni date, vel tempus sacrorum ieiuniorũ siue quadragesimalium, siue cæterarum ecclesiasticorum vel vigiliarum venerabilium solemnitatum, in quibus omnibus, debent sacerdotes non solum, sed & omnes fideles ab vxorio amplexu abstinere, & ad ecclesiam conuenire, et ibi sacra Missarum solemnia celebrare, et tũc omnes corpore & sanguine Domini communitare, & psalmos et hymnos Dauiticos decantare, & collectas quas ipse apostolus in sequentibus commemorat, facere. Cuius rei testis est Gretia, ipsius Apostoli prædicatione conuersa, quæ hodie vsq; nũc memorem tenet & seruat hæc ab Apostolica institutione fuisse informata. Raro namq; ad ecclesiam cõuenire, & missam refertur, nisi quando supradicti dies celebrantur. Et vt quibusdam videtur, hoc est tempus, quod ait Apostolus, vacandi orationi, in quo præcipit sacerdotibus omnino à cõplexibus suspendi, & longè fieri: & hæc est oratio cui sacerdotes maxime vacare debent, ab omni scilicet cõcupiscentia et voluntate carnali, iuxta præceptũ Domini ad Moysen, de fœminalibus sacerdotibus faciendis, loquentis: Facies (inquit) & fœminalia linea, cooperiant carnẽ turpitudinis suæ arenibus vsq; ad fœminalia.

& vtuntur eis Aaron & filij eius quando ingrediuntur tabernaculum testimonij, vel quando appropinquant ad altare vt ministrēt in sanctuario, ne iniquitate rei moriantur. Hic Moyses apertißimè ostendit tempus, quod ait Apostolus, vt vacent orationi. In quo, maximè, tempore debent sacerdotes à mulieribus immunes esse. Quando (inquit) ingrediuntur tabernaculum testimonij, vel quando appropinquant ad Altare, vt ministrent in Sanctuario, tunc operiant fœminalibus carnem turpitudinis suæ. Item, quando Sacerdotes Missas celebrare, & Deo offerre sacrificium debent, ab vxoribus omnino abstineant, & fœminalibus carnem turpitudinis suæ cooperiant, & luxuria continentiam cohibeant. Post quod videlicet tempus vacandi orationi, rursus iubet eos, quibus hanc licentiam & indulgentiam tribuerat, in idipsum reuerti. Ne tentet vos Sathanas (inquit) propter incontinentiam vestram, & faciat vos cadere in fornicationem. Quod si ita non esse contradicitis, quale erit tempus vacandi orationi? ab vxorio complexu abstinendi? Aut quæ erit oratio huic concessa tempori? Nunquid non semper est tempus orandi & domino psallendi? cum

Psal-

Psalmographus dicat: Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo et in te cantatio mea semper. Et cum idem apostolus dicat: Sine intermissione orate. Aut quod erit tempus voluntatem explendi, & debitum vxori reddendi, in quo omnino orare non licebit? Nunquid cum vxoribus conuenimus orare prohibemur? Nunquid psalmos pœnitētiales cantare et orationem dominicam, aut, Deus propitius esto mihi peccatori, dicere post lapsum nō debemus? Quid ergo faciemus cum fragiliter & humanitus labimur? Nunquid post lapsum non resurgemus, & ad ecclesiam veniemus, & peccata nostra alterutrum non confitebimur, et proinuicem vt saluemur orabimus? Aut igitur nō orandum semper demonstrate, aut orandi tempus, et tempus non orandi, et tempus amplexandi, et tempus non amplexandi nobis distinguite, aut sit quæ oratio cui vacare debeamus, aut quibus hæc exceptio & indulgentia datur nobis intimate. Quam videlicet indulgentiam & exceptionem si solis laicis datam monstrare contenditis, multa vobis occurrerēt quæ vix expugnare poteritis. Quod mox vos oportebit hic ostendere, aut laicis postquā ad fidem venirent, si

vxores habent dimittere: et hoc modo apostolum commutasse, et propter fornicationem eis vxores indulsisse, et nũc contra morem religionis illum fecisse. Quod si ita est, ipse apostolus sibi erit confestim valde contrarius. Nam in præsenti epistola ipse præcepit, vt si aliquis ad fidem veniens, et fidelis existens, habeat mulierem infidelem, non dimittat illam. Similiter & de muliere. Et multa alia inconuenientia & contraria legi Diuinæ orientur si ista conceduntur, quæ propter prolixitatem tacemus. Vtrumigitur hæc indulgẽtia data sit ab apostolo sacerdotibus, quia tũc noua erat ecclesia, nec adhuc prohibitum fuerat nubere sacerdotes, dimittim⁹, ne sacris canonibus, qui hæc postea prohibuerunt, derogemus. Infirmitatẽ nostram vos considerare ac miserari rogamus, et ve ei violentiam inferatis, suppliciter imploramus. Nam sicut iam satis superiùs inculcauimus vobis, nullus ad continentiam inuitus debet compelli. Neq; hoc genus virtutis vlli per legem Dei necessario imperatum est, sed voluntaria deuotione Domino offerendum, dicente
„ ipso de hoc in Euangelio: Non omnes capiunt
„ verbum istud, sed quibus datum est. Ad quã tamen, benigna mox exhortatione eos qui possunt,

sunt imitat, dicēs: Qui potest capere, capiat. Vnde certè gratia distinctionis, nō Moyses fœminalibus vestire Aaron et filios eius iubetur, sicut de prioribus dicitur: Vesties his Aarō fratrem tuum, & filios eius cū eo, sed facies (inquit) fœminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ. Ipsi, inquit, operiant carnē turpitudinis suæ, tu fœminalia pontifici & filijs eius facies: incastitatis regulam docebit, tu abstinendum ab vxorio complexu eis qui sacerdotio functuri sunt intimabis: nulli tamen violentum huiusmodi continentiæ iugum imponens. Sed quicunq; sacerdotes fieri, ac ministerio altaris seruire volunt, ipsi suaſponte vxori serui esse desistant, quod vbi perfecerint, susscepto semel continentiæ proposito, ministros se sanctuarij atq; altaris fore consenserint, aderit diuina, quæ velut cæteris illis habitum sacerdotibis congruum imponens, quomodo viuere vel docere debeant abūdanter instituit. Qui sensus subsequentibus quoq; domini verbis affirmatur. Quibus post pauca subiungit: Cūque laueris patrem cū filijs, aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est, linea & tunica, & superhumerali & rationali quod stringes balteo, & pones cyatum, & oleum vnctionis fun-

des super caput eius, atq; hoc ritu consecrabitur. Filios quoq; illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingesq; Aaron balteo scilicet, & liberos eius, & impones eis mitras, eruntq; sacerdotes mei in religione perpetua. Nanq; hic de fœminalibus à Moyse accipendis præcipitur. Unde liquido constat, quod se hoc genere vestimenti ipse prius Aaron ac filij eius induerant: & sic ad manum Moysi lauandi, inducendi, vngendi, & consecrandi intrabant.

Hic apertè ostenditur & docetur nulli cõtinentiæ iugum inuito imponendum, sed à deo prompta & deuota voluntate accipiendum. Quod & Dionysius Ariopagita, Theosophus, id est, Deus sapiens Pauli apostoli discipulus, & ab eo Athenienſiũ Archiepiscopus ordinatur, in epistola quadam ad Pynitum Gnosiorũ episcopum missa, in qua plurima de nuptijs & castitate commemorat: Sicut Ecclesiastica refert historia, monet & precatur illũ, ne grauia onera Discipulorum ceruicibus imponat, neue fratribus necessitatem compulsæ castitatis indicat, in quæ nõnullorum periclitatur infirmitas. Atq; Pynitus Dionysio rescripsit sententiam se cõsilij melioris quod ipse dabat amplecti. Hoc itidem & Phannutius virq; diuinißi-

nissimus atq; castissimus, cum in Niceno consilio, vt in Tripartita historia inuenimus, patres qui ibi aderant, hoc interdicere sacerdotibus voluissent, in medium eorum zelo humanæ infirmitatis commotus, et conscius exurgẽs, hoc ne facerent rogauit, quin potius vt in voluntate vniuscuiusq; ponerent exorauit. Per hoc ne fortè darent locum et occasionem adulterio & fornicationi. Hac nanq; cautela insancti viri religione vtebãtur: vt cũ de instructione & ædificatione subditorũ aliquid agerent, et eos ad meliorem vitã de diuinis præceptis commonere facerent, cũ patientia & mãsuetudine potius obediẽda præciperent, quã cũ potentia & austeritate imperarent, nullumq; inuitum sibi obedire compellerent. Quorum vos exempla sequentes, qui eorum locum tenetis & nomen, ne nobis infirmis importabilem sarcinã quæsumus imponatis, ne in præcatione dominica, cũ Pharisæis & Legis peritis suscipiamur, in qua ait: Væ vobis Legis periti, qui oneratis homines oneribus quæ non possũt portari, et ipsi vno digito vestro eã non tangitis: Et ne clamor filiorum Israël ascendat ad Dominum, propter duritiam eorum quæ præsunt operibus. Neq; vos velitis facere eunuchos,

qui

qui de vtero matris sic nati sunt, vel eos eunuchos, qui violenter ab hominibus facti sunt. sed potius eos Eunuchos qui se ipsos sua sponte eunuchizauerunt propter Regnum cœlorum, neue sacris ordinibus & diuino mysterio propter nos tantum calumniam faciatis vel inferatis, qui propter nostram vitam improbam, illud hominibus contemptibile facitis, dum eis ne à nobis illud audiant et percipiant prohibetis, ac per hoc vitam improbam infamatis, et odorem nostrum coram Pharaone et seruis eius fetere facitis. Quod vos non recte (si dici liceat ne molestè accipiatis) videtur nobis facere, et contrà diuinam authoritatem et canonicam regulã hoc quod facitis esse. Cum Dominus p̃ Legis latorem dicat: Turpitudinem matris tuæ non reueles, et ignominiam eius ne discooperias. Mater nostra ecclesia est, filij huius matris quiq̃ fideliũ sunt. Cuius tamen materna appellatio maximè in sacerdotib. est. Nam ipsi generant fideles, et verbo prædicationis, et sacramẽto baptismatis. An non mater erat quæ dicebat, Filioli mei, quos iterum parturio? Turpitudo ergo et ignominia matris nostræ reprehẽsibilis est actio sacerdotalis vitæ: Quæ turpitudo tunc reuelatur, et ignominia

minia discooperitur, cũ sacerdotalis vita publicè infamatur. Quod vos nimirum facitis, qui fragilitatem nostram, quasi hactenus latẽtem, & coopertam (quia eam nullus ita cognouerat) hominibus diffamatis. Et propter eã diuina mysteria vel ministeria aspernanda sancitis. Enimuero quasi ad ea pertineat pollutio aliena, & ea polluat & commaculet immunditia nostra. Cum Psalmographus dicat: Lex Domini immaculata: aut quasi illi nostro contagio contaminentur, quia ea ex nostro ore & ex nostro officio adipiscuntur. Quod si ita dicitis esse, nequaquã discipulis & turbis phariſais Dominus præciperet. Omnia quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite. Et rursus: Si ita esset, nequaquã dominus Iudam quem furẽ esse sciebat, & proditorem suum futurum cum discipulis alijs ad prædicandum mitteret, neq; potestatem signa faciendi, et sanitates donãdi, neq; ad communionem sacrosanctæ cœnæ eum admitteret. Et si immunditia nostra diuina mysteria vel ministeria, & eorum capaces et auditores inficeret & deterioraret, nequaquã dominus leprosum, quẽ mundauerat, tangeret, neq; ei osculum daret, & nequaquam cum Simone alio leproso manducaret, et nequaquam

à Maria peccatrice pedes suos osculari, & lachrymis lauari, et capillis tergi, et caput suũ ungi permitteret. Hinc sacrorum canonũ veneranda authoritas sanxit, nullum, qui etiam ab haretico sacramenta dominica rectè perceperit, vllatenus ipsa haretica prauitate corrũpi, nec illa sacramenta illius contagione commaculari. Vnde Romana ecclesia per Anastasium papam, in quadam epistola ad Anastasium imperatorẽ directa, decreuit, & scripsit, quod nullũ de his, vel quos baptizauit Acatius, vel quos sacerdotes, aut Leuitas secundũ canones ordinauit, vlla eos ex nomine Accatij portio lesionis attingat, quò forsan per inimicũ tradita sacramenti gratia minus firma videatur. Nam et baptismum, quod procul sit ab ecclesia, siue ab adultero vel à fure datum fuerit, ad percipientem non minus peruenit illibatum. Quid vox illa quæ sonuit per columbam, omnem malitiam vel maculã humana pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur? Hic est, qui baptizat. Nam si visibilis solis istius radij, cum per loca fœtidissima transeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multò magis virtus illius, qui istum visibilem solem facit, nulla mysterij dignitate cõstrin-

stringitur. Quicquid ergo ad hominum proiectum quilibet in ecclesia minister pro officio suo videtur operari, hic totum contineri implendo diuinitatis effectu: ita ille, per quem Christus loquitur, Paulus affirmat: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Dominus incrementũ dedit. Adeo non quæritur quis vel qualis prædicet: Sed sic prædicet vt inuidos etiam bene de Christo prædicare confirmet. Tanta est nanq; diuinæ potentia gratiæ, vt per malos adquirat bonos, & per reprobos & improbos, adquirat & colligat probos.

His itaq; authoribus, et alijs supradictis rationibus persuadere debetis, neq; nos à diuini officij celebritate arcere, neq; illos quorum nihil interest, ab eius communione suspendere. Qui si mali sumus, nobis ipsis sumus, & plus nobis quàm alijs nocemus, & quos fortasse malos conspicitis, quid boni interius habeant, ignoratis. Sunt enim plerique, quos de incontinentia iudicatis, qui continentiores sunt, q̃ illi, quos de continentia glorificatis, qui habentes vxores, iuxta Apostolum, tanq̃ non habentes. Quam videlicet continentiam quia nobis nõ potestis dare, orate nobiscum, & pro nobis, vt ille nobis donet, cuius hoc donum noscitur

esse, & sine quo nemo potest continens esse. Aliter enim illam habere non possumus, nisi ex totis præcordijs illum oremus, cuius hoc donum esse cognoscimus. Et ipsum hoc (inquit Salomon) est sapientia, scire cuius hoc donum est, & quoniam super hoc, nihil est.

¶ Repertæ sunt hæ duæ Epistolæ inter laceras chartas Monasterij, nuper suppressi, quondam S. Augustini Cantuariensis.

PRAEMONITIO ad Lectorem.

VIdes hic (ſtudioſè Lector) quàm ſolidis, (ſcilicet) rationibus nitatur hic Author, quam ſynceriter ſuo fungatur officio, aut (ipſe dicit) & credi, quicquid dixerit, poſtulat, aut fimbrias allegoriarum ſuarum ita magnificat, vt ne mutire contra debes (ſi Eccleſiæ filius per illum dici vis.) Quàm obtorto collo Apoſtolorũ canones, quam audacter (renitente ipſa veritate) Paulum ipſum citat ſecum ſentientem, ipſe conſidera. Eccleſiam ſuam maximi facit (Romanam ſcilicet) vt ſi illi aliquid detraxeris, in luto hærebunt omnia. Quibus verbis *Chriſtus*, quibus Apoſtoli, quibus Patres, in ſcortis & vagis hominum libidinibus inſectandis vſi ſunt: iſte bonus vir in caſta hominum coniugia, & thorum immaculatum, ea detorquet omnia. O ſæculũ, quãdo hæc applauſus ſuos habuerunt apud doctos, ô eccleſia (ſi lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ?) Sed hic me cohibeo, & ad te iudicem omnia refero. *Vale & caue.*

Sacerdotum.

Inquisitio Discipuli.

Crebrò cogimur ad ostium tuæ sapientiæ pulsare, & timemus, ne aliquãdo tædio affectus, permittas nos foris stare. Sed cùm nouerimus non esse tuum quod das, sed tibi tantum commissum alijs ad erogandum, exigimus à te nostrum debitum. Desideramus ergo certificari tua solutione, super vulgari in toto orbe quæstione, quæ ab omnibus penè quotidie ventilatur, & adhuc lis indiscussa cælatur. Scilicet, Si liceat presbyteris post acceptum ordinem vxores ducere, aut si profit, aut liceat christianis eorum Missas audire, vel alia Sacramenta ab eis percipere, *præsertim cum Apostolus nullum excipiens, de*

1. Cor. 7. *omnibus viris dicat: Propter fornicationem*

1. Tim. 3. *vnusquisq; vxorem habeat. Melius est enim nubere, quàm vri. Et iterum: Præsbyteros cõ-*

Titus. 1. *stituendos esse, vnius vxoris viros. Et necesse est, vt hæc quæstio à te finiatur, quia ob authoritatis gratiam tua sententia, vt puta indicis, ab omnibus præstolatur.*

Solu-

Inuoluendo dolis, me vallat techna Sinonis,
Hoſtis equo clauſus, ſtruit in mea pergama plauſus.

En labori meo merces Promethei recompenſatur, qui prius propter factum à ſe hominem, in Caucaſum montem auibus & beſtijs religatur. En fratres ſancti, cogitis me figere in Æthiopia tentorium, vt habitem in medio ſcorpionum, & frater ſiam draconum, & ſocius ſtruthionum, īmò, vt agnū, me ſæuis lupis exponitis, & vndiq; in me frementiū liuidis dentibus corrodendum, vel potius dilacerandum traditis. Sed forſitan dicturi eſtis, Prometheū in maiorē poſt gratiā receptum, vt etiā anuli vſus ob inſigne dilectionis ab eo ſumpſerit exordiū, dicetiſq;, ſi ardeat Iliū, mihi Tethym cū Ænea præſtare effugiū ad lacū. Aſylum etiā montem mihi demonſtrabitis, ad quem me cum Loth Sodomæ incendiū poſſe euadere affirmabitis. Et vt planius dicam, totum aſſeretis me fortaſſis eo magis Deo appropinquare, et amicitiæ iuſtorum, quò in me zelo Dei, concitauero odia iniquorum. Quia hæc inquam fortè opponitis, de hac re quam proponitis, non quid ego ſentiam, ſed quod Spiritus ſanctus, et eccleſia inde cenſuerint, dicam.

Ezech. 2.
Iob. 30.

Expo-

CHaos Legis veteris, fuit vmbra lucis nouæ legis. Synagoga erat ecclesiæ vmbra. Sic sacerdotes veteris Testamenti fuerunt vmbra verorum sacerdotum euãgelij. Omnia autem, quæ populo sub lege constituto contingebant, vel ab eis fiebant, populi Christiani figura erant. Lex itaq; quia spiritualis est, spiritualia vtiq; præcipiebat: sed populus carnalis ad literam tantũ ea intelligens, carnaliter cuncta in figura implebat, donec vmbra recedẽte, spiritualis populus venit, qui omnia spiritualiter implenit. Quæ lex cunctos maledictionis vinculo enodauerat, qui fructum in Israël non ferebant. Vnde Sacerdotes legis, ad euitandam maledictionem, et propagandam prolem, vxores ducebant, quia nõ alsunde nisi de sola stirpe Leui, sacerdotes eligendos lex censebat. Sacerdos autẽ omnibus membris corporis debuit integer existere, & ipse virgo virginẽ de sua cognatione ducere. Si meretricem, vel repudiatam aut viduam igitur copulauerit, lex eum penitus à sacerdotio repellebat. Per vices autem de tabernaculis, vel templo ministrabant, peracta vice ad domum propriam reuertebantur: & tunc demũ coniugibus iũgebantur. Illorũ verò omnia in figura acta esse nullus ambigit, qui diuinam paginã aliquatenus nouit.

De

Synagoga igitur erat cõcubina, ecclesia vero superni regis regina. De illa dicitur: Eyce ancillam & filium eius, scilicet legem & carnalem populum. De ista autẽ: Astitit regina à dextris tuis, videlicet in gloria viri. Sponsus eius est Christus in dextra patris, cui regina iam sponsus omnia patris secreta nota fecerat, quæ à cõcubina celauerat. Quia itaq; remota sunt cuncta legis vmbracula, sicut ipsa est sine ruga & absq; macula, ita etiam vult habere sacerdotes, in quibus nulla sint sordium piacula: & si concubina carnaliter tantum sapiens, hos ministros refutabat, quos aliqua deformitas mẽbrorũ corporis dehonestabat, quãto magis regina cuncta spiritualia amplectens omnes ministros refutabat, quos morum fœditas deturparat. Si luscus vel lippus erat, cõcubina eius ministeriũ respuebat. Luscus, qui rectitudinem sacræ Scripturæ negligit, & secularibus literis quæ vana & obscœna instruũt, animum impendit. Lippus vero est, qui exosum habet splendorem Dei præceptorum, & amat in opaco esse vitiorum. Hunc quia visus dehonestatur, Regina suum ministerium habere dedignatur. Si grauis auditu fuit, hunc sibi concubina seruire noluit: Grauis audi-

De luſco.

De lippo.

De Graui auditu.

tu vix clamantes audit, & sæpe vix audita peruerse intelligit. Graues ergo auditu sunt, qui scripturas inclamantes audire contemnũt, & si aliquando quædam vix attendunt, ea in defensionem suæ humanitatis peruertunt. Hos quia auditus deturpat, Regina sibi seruire recusat. Si grandi vel paruo vel distorto naso extitit, concubina à suo obsequio reppulit.

De naso.

Quia fetores odoresq; per nares discernuntur, rectè diuersitates studiorum per nares intelliguntur. Grandem ergo habent nasum, qui fetorem gentilium scripturarum, scilicet philosophica argumenta, imò deliramenta & poëtica figmenta in se trahere anhelant, et odorem diuinæ paginæ haurire nauseant. Paruo vero naso est, qui nec diuinis nec secularibus discendis insistit, sed varijs negotijs occupatus in torpore negligentiæ hæbetescit. Distorto autẽ naso est, qui ea quæ vel in diuinis vel secularibus legerit, peruersè intelligit, & peius agit. Hi qui membro odoratus deformantur, ab obsequio reginæ reprobantur. Si lingua erat impeditus, concubinæ ministerium exhibere non erat dignus. Sacerdos impeditus est lingua, qui vel horas canonicas, aut sepulturas, vel baptismum, non nisi propter pecuniam. Multum in

De lingua.

lin-

lingua prepeditur, qui veritatem reticens, mẽdacijs detractionibusq; irretitur. Hunc talem cum non habeat oris placens offitium, Regina renuit habere ministrum. Quorum manus chiragra, vel pedes podagra cõtexerat, hos concubina sibi obsequi contempserat. Huius manus chiragra cõtraxit, cuius manus semper sunt ad accipienda munera porrecta, et ad dandam eleemosynam collecta. Pedes podagra strinxit, qui in dei seruitio stare sunt debiles, & ad choreas vel alia nefanda spectacula sunt stabiles: Tales regina à suo seruitio remouet, quia eos tactus & incestus turpis languor tenet. Si meretricem, si repudiatam, si viduam in vxorem acceperat, hunc Synagoga concubina à sacerdotio repellebat. Iam hodie ecclesia regina omnem repellit à sacerdotio, qui vel meretricem, vel relictam, vel viduam, sortitus fuerit in matrimonio. Si virginẽ duxit, hunc lex ad sacerdotiũ admisit. Ita in ecclesia ad sacerdotiũ recipitur, qui laic⁹ virginẽ sortitur, ita tamẽ, vt adepto ordine, nũq; ei denuò p carnis cõmixtionem copuletur. Si autem ante acceptũ ordinẽ bigamus est, id est, si mortua legitima vxore aliam duxerit, hũc ecclesia nullo modo ad gradum sacerdotij admittit. Et

De manibus & pedibus.

quia lex ſpiritualis eſt, legis mandata ſpiritu aliter intelligit eccleſia. Sacerdotis eccleſia uxor legitima eſt eccleſia canonicè accepta. Illa itaq; eccleſia pro meretrice reputatur, quæ ab hæreticis cõſecrata, immò conſtuprata, nullis niſi pecunia datur. Hæc quia cum multis ſimoniacis, ut meretrix pro mercede, cum adulteris proſtratur, non eſt ſacerdoti eccleſiæ fas ut hanc in coniugio ſortiatur. Repudiata verò conuincitur, quæ ob hæreticam prauitatem vel prauos & incorrigibiles mores à ſuo ſacerdote relinquitur, & ideo copula eius catholico ſacerdoti interdicitur. Vidua autem illa eccleſia creditur, cuius ſacerdos ob religionem expellitur, ad cuius etiam conſortium ſacerdos eccleſiæ inhibetur, quàm diu eius verus maritus ſuperſtes perhibetur. Ipſam vero virgo virginem ſortiatur. Si verò eſt virgo corpore multum eſt laudabile, ſi verò carnis integritatem quolibet genere fornicationis amiſit, non multum eccleſia attendit, ſi tamẽ vita eius verbo & exemplo utilis fuerit, & de cætero caſtitati ſeruire decreuerit. Mente autem virgo eſſe debet, ut integritatem fidei ſeruet, & nulla eum hæreſeos perfidia ab amore veri ſponſi ſubruat, & eius animum prauæ doctrinæ conſentiendo polluat.

Vir-

Virginem quo accipiat ſponſam, id eſt, eccleſiã à catholico ſacerdote conſecratam, & gratis canonicè datam, quæ etiam ſit de ſua cognatione, id eſt, de eiuſdem quæ ipſe eſt fidei profeſſione. Sacerdotes quoq; eccleſiæ debent tauros et hircos in ſacrificio offerre. Per tauros ſuperbia, per hircos intelligitur luxuria. Per hæc duo maximè Diabolus genus humanum poſſidet, dum mentem per ſuperbiam, carnem per luxuriam obtinet. Eccleſia itaq; ſacerdotes debent tauros & hircos dño mactare, id eſt, vigilijs, ieiunijs, & omnibus ſuperbiam et luxuriam in ſe domare. Tabernaculum in quo ſacrificium à ſacerdotibus offerebatur eccleſiæ præſens intelligitur, quàm diu peregrinatur. Templum autem in quo per vices à Salomone diſponebatur, Eccleſia futura accipitur, quando à vero pontifice Chriſto in cœlo collocatur. Si igitur ita (vt dictum eſt) ſacerdotes hic miniſtrauerint in tabernaculo: poſtmodum in diuerſis manſionibus diſponentur in templo, vt in Apocalypſi legitur. Sacerdotes domini erũt, & in templo eius die ac nocte ei ſeruiunt. Ecce ſacerdotes quærunt eccleſiam habere: talibus vult ipſa ſacramenta ſua committere, qui illi caſtè viuendo miniſtrent: qui aliter a-

gunt, sacerdotes esse ecclesiæ non possunt. Dicis itaq;. Si ita sunt enucleandi, pauci inueniuntur sacerdotio digni. Audi: Qui publicè criminibus impliciti tenentur, canonica censura à sacerdotio arcentur. Quorum verò crimina latẽt, hos ecclesia tolerat, & eorum causam suo sponso cordium inspectori seruat. Sicut enim ipsa est sine macula, ita etiam vult habere immaculata seruitia. Et sicut in gente Iudaorum ad offerendũ sanguinem pecorum, sacerdotes sine macula membrorum & virginibus solummodo copulati eligebãtur, vbi de vna stirpe assumebantur: quanto magis in ecclesia sine macula morum eligendi sunt, qui nõ sanguinem pecorũ sed summi patris agni cruorem oblaturi sunt: Nempè in ecclesia non quaritur formositas corporum, sed morum, nec sacerdotio priuatur, qui vitio aliquo membrorũ deformatur, vel si etiam desunt aliqua, vt puta digitus de pede, aut de manu, vel virilia, si tãtum formosus & integer fuerit in fide per bona studia. Hic fortè dices: Quàm multi absque electione, plures absque probatione, multi criminosi, plurimi indocti, plerique per pecuniam sacerdotium assequuntur, ac etiam Pontificatus apicem adipiscuntur: Adepti vero ecclesias,

eleſias, ſacros ordines et alia ſancti ſpiritus charismata vendunt, ſpiritualia respuentes, temporalibus lucris toto ſtudio intendunt. Quidã autem militiam parant, quidam voluptatibus vacant, omnibus delitijs affluunt, qualibet cõmittunt, et tamẽ quotidiè diuinis myſterijs inſulati ſe ingerunt, & ab omni populo maiore honore quam boni ſacerdotes digni ducuntur. Qui per oſtium Chriſti non intrant in eccleſiam, ſed aſcendunt aliunde per pecuniam, non ſacerdotes, ſed fures ſunt & latrones. Et licet centum infulis decorentur, quotidiè dominicis ſacramẽtis impudenter inſerentur, canes ſunt, foris eccleſiam ſunt. Si ſacerdotium emunt, etiã animæ leprum habebunt, & ideo ab eccleſia ſecluſi, non intrant, ſed recedunt. Si gratuita ſpiritus ſancti dona vendunt, cum Simone ad perditionem vendunt, & hi ab eccleſia ſequeſtrati foris ſtabunt vacui. Si autẽ militiæ ſunt dediti, non ſacerdotes, ſed eccleſiæ pugnatores, non defenſores, ſed deſtructores, non patroni, ſed tyranni. Et ſi voluptuoſe viuunt, & ad flagitia peragenda potentes ſunt, potenter quoq; tormenta patientur, & doctiores abundantius pœnis plectentur. Hos omnes regina eccleſia à ſacerdotio eliminat, & ſuo miniſterio abdicat.

Hos

Hos Iesus in ecclesia sponsus ab ecclesia sua cũ flagello eiecit, & à domo patris sui vt fures & latrones repellit. Non enim gregem Domini, sed semet ipsos pascunt, lac comedunt, lanis se cooperiunt, & oues Dñi inter lupos minãtur, vel potiùs ipsi sæui lupi eas deuorant. Solũmodo nanq; rebus subditorum inhiãt: de salute animarum prorsus nihil cogitant, &, vt vulgo dicitur, viuos & mortuos deuorant. De ijs scriptum est: Ipsi regnarunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego ignoraui. Quãuis omnis potestas à deo, quia isti recesserunt ab eo, non per dominũ, sed per pecuniã principantur: & ideo non sunt digni vt in notitiam dei habeantur. Hos autem omnes esse stimus secluſos à sacerdotio ecclesiæ communis: accipe modum secluſionis. Qui à pastore non intromissus per ostium intrauerit, sed scandendo per murum in ouile irruerit, aut fur, aut latro, aut lupus est: sed si à pastore Christo intromissi nõ sunt, nec per ostium ecclesiasticæ constitutionis ad ecclesiæ regnum intrauerunt, sed per pecuniã, quasi armata manu violenter in ouile domini irruperunt, igitur fures, latrones, lupi sunt, & ideo extra Ecclesiam. Fures sunt, quia quos possunt, clã decipiunt, furtim munera accipiũt.

Latro-

Latrones ſunt, quia quos præualent opprimunt, bona eorum contra iuſtitiã extorquendo diripiunt. Lupi ſunt, quia quos ſuæ tyrannidis non conſentaneos habere potuerunt, in eos crudeliter ſæuiunt. Canes ſunt, quia ſancta Dei, quantum in ipſis eſt, coinquinant. Porci ſunt, quia margaritas diuinarũ ſententiarũ ſordè proculcantur. Igitur hi omnes non ſunt ſacerdotes Eccleſiæ, ſed ſunt miniſtri Sathanæ.

De ſacerdotibus Legis.

Quod autem ſacerdotes eccleſiæ caſtè viuere debeant, multa exempla veteris teſtamẽti probant: legitur enim in veteri ſerie, q̃ ſacerdotes legis à coniugibus ſegregati dormirent, dũ tempus vicis in offerendo ſacrificio explerent. Si à mulieribus ſibi conceſſis abſtineant, qui ſanguinem pecorum tantum offerebant, quanto magis ab omni mulierum commixtione debent perpetuò vacare, quos ipſum dominũ conſtat immolare. Item legitur, quod Moyſes per triduum populum ſacrificaret, dum ad mõtem percipiẽdam legem acceſſurus erat. Vbi in veteri Scriptura ſanctificauit legitur, à mulieribus abſtinuiſſe tantum intelligitur: & ſi hi triduo ab vxoribus abſtinendo, ſanctificabã- De Moyſe.

tur, qui ad montem in quo angelus tantum in assumpta humana forma apparuit, quanto magis ab omni contactu mulierum debent se iugiter obseruare, qui ipsi domino angelorum quotidiè debent appropinquare. Item legitur, quod
De Dauid. Dauid à Saul fugiens & esuriens cum suis, à sacerdote panem non accepisset, nisi prius se triduo à coniugibus abstinuisse respondisset. Si Dauid esurienti erat illicitum vesci pane sacerdotum nisi esset mundus ab accessu mulierum, licet istis implicari sordibus meretricũ, qui quotidiè vesci debẽt pane angelorum? Itẽ
De Oza. legitur, quod Oza sacerdos dum nutantẽ arcam tenere voluit, a domino occisus interijt. Cur occidit eum dominus, si voluit opus bonũ operari? Oza creditur illa nocte cum vxore sua fuisse: & illa die sancta ei tangere non licuisse. Si ille in corpore perijt, qui pollutus illud vas tantum domino dedicatum tangere præsumpsit, quanto magis isti in anima pereunt, qui omnibus sordib⁹ immũditia inuoluti, illum contrectare præsumunt, in cuius conspectu nec
Nadab. cœli mundi sunt. Item legitur, quod Nadab et Abiud filij Aaron, ab igne deuorati sunt, dũ in sacrificio domini ignem alienum obtulerũt. Si domino voluerunt incensum offerre, cur de-

uorati

norati sunt ab igne? Creduntur illi in nocte rem cum mulieribus habuisse, & illa die illis ministrare non licitum fuisse: & ideo in exemplum futurorum sacerdotum eos in corpore periysse. Si illos consumpsit incendium, qui polluti obtulerunt tantum incensum, quid putas qualiter eos flamma gehennæ absorbeat, qui odorem angelorum ipsum patris incensum, scilicet Christum, quotidiè offerre sordibus immũdi non trepidant? Quid loquar de sacerdotibus deditis diuisis cultibus, cum Gentiles sacerdotes à mulieribus abstinuisse tradãt, quãdo idola immolaturi erant? Si continẽtiæ operã dabant, qui dæmonibus sacrificabant, istis conceditur sic, cũ mulieribus coinquinare, qui vero & viuo Deo omnium sanctificatori quotidiè debent agnum immaculatum Christum immolare? Igitur ecclesiæ sacerdotes debent esse continentes. Veterem cisternam relinquamus, ad fluenta noui fontis veniamus. Iesus Christus Deus & Dominus noster, in quem omnes credimus, et in quo saluari confidimus, qui legis maledictionẽ soluit, & gratiæ benedictionem contulit, ipse summus & primus sacerdos ecclesiæ, vt demonstraret sibi seruientes cœlibem vitam ducere, nasci voluit de casta

De Gentilibus.

De noua lege.

virgine, & ipse exemplum castitatis viuendo & docendo vsq; in finem vitæ præbuit, & sibi seruire volentibus dixit: Qui mihi ministrat me sequatur, id est, me imitetur. Ac si diceret. Si vis mihi ministrare, me castè viuendo imitare: sic genito de castitate castos conuenit ministrare, & ipse incestuosos odit, & à suo ministerio seponit. Igitur qui luxuriosè sordibus se coinquinat, Christo non ministrat: deniq; quamdiu quis immũditia viuit, Christo nullo modo poterit seruire. Dicis itaque: Si Christo non seruiunt, qui castè nõ viuunt, cui seruiunt? cum Missas celebrant, altè cantant, legunt, psallunt. Audi: suo domino scilicet diabolo: Omnis nanq; qui facit peccatũ seruus est peccati, et à quo quis vincitur illius et seruus efficitur. Sed ipsi à spiritu fornicationis victi sunt, et ex toto corde seruiunt, igitur non Christi ministri sunt, spiritus fornicationis serui sunt, & quàmdiu eius domino seruiunt, Christo seruire nõ poterunt. Casto autem casti debent seruire. Quod isti in ecclesia cantant vel legunt, propter lucrũ aut propter iactantiam faciunt, & hoc pro mercede recipiunt: & hoc non est Christi seruitus, sed clamor & strepitus deo infestus. At inquiet,

Nonne

Nonne ſancta verba ibi recitantur? Audi, In hoc magis rei ſunt, cum ſibi temerè officium vſurpant. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamẽtum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam & proieciſti ſermones meos retrorſum. Furibus concurrebas, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Ecce furibus & adulteris aſſociantur diuina voce, quos dicis in eccleſia altiſona voce legendo vel canendo deo ſeruire. Cum enim luxurioſè viuunt, & monita ſcripturarum deſpiciunt quãtum in ipſis eſt verba, dei coinquinãt, dum ea polluta mẽte & cõſcientia in eccleſia recitant. Itaq; videamus quid ſit miniſterium illorum per hæc ſacrata loca quæ ingrediuntur, Chriſtum ſcrutantes perſequuntur. Per hoc autem quod ſacras veſtes induunt, vel ſacra vaſa tangunt, Chriſto violentas manus iniciunt. Per hæc verò quod impudenter offerre præſumunt, Chriſtum quodammodo viſibiliter in altari crucifigunt. Legitur miniſterium eorum Chriſti perſecutio, immò crucifixio appellatur. Sacerdotibus eccleſiæ illicitum eſt vxores ducere, ducant exempla primorum eccleſiæ ſacerdotum, videlicet apoſtolorum, & omnium ab eis ordinatorum, qui

De cantu eorum.

Quod Chriſtum crucifigunt.

qui omnes castam vitam duxerunt. Sicut ab ipso summo formam acceperunt. Quod autem opponitis apostolũ omnibus viris dixisse, Vnusquisq; vxorem habeat, hoc solis laicis cum concessisse nullus ignorat, qui vel tenuiter Pauli epistolas legit. In primitiua nanq; ecclesia omnes qui ad fidem conuertebantur cœlibem & communem vitam duxisse sacra authoritate comprobtãur. Quos Corinthij per Paulũ conuersi, cum imitari vellent: quidam eorũ à sana doctrina tentati in tantam libidinem prolapsi sunt, vt etiam cum nouercis suis coirent. Apostolus itaq; in spiritu sancto prauidens multitudinem gentium fidem percepturam, & castitatis propositũ minimè seruaturã, vt peritus medicus animarum, volẽs in hoc mederi infirmitati eorum, concessit eis vnius vxoris consortium, ob euitãdum fornicationis præcipitiũ. Nam causam subiunxit, dicens: Melius, id est, leuius esse legitima vxori nubere, quàm vri id est, concupiscentia alienarũ mulierũ consumi. Et quod hæc solis laicis concesserit, testatur alia Epistola quam illorum sacerdoti misit. Timotheus etenim illorum episcopus erat, in alia Epistola scripserat: Oportet esse Episcopum irreprehensibilem, vnius vxoris virum.

De Apostolo & Regula laicorum.

De Reguli sacerdotum.

rum. Inter Epiſcopum & præſbyterum nulla erat tunc temporis differentia. Ideo cuncta quæ ab apoſtolo epiſcopis præcipiuntur, præſbyteris præcepta intelliguntur. Multi autem de Græcis ſicut hodie de Latinis literis erant edocti laici, qui accepta fide aſſumebant ordinem ſacerdotij. Præcepit itaq; Apoſtolus, ne quis ad ſacerdotium accedere præſumeret, niſi his qui non niſi vnam vxorem laicus habuiſſet. Accepto autem ordine nunquam ei carnis commixtione ſe copularet, tamẽ vice neceſſaria ei ſubminiſtraret. Si autem poſt acceptum ordinem, cũ illa vel cum alia rẽ habuiſſe cõuinceretur, à miniſterio altaris penitus remoueretur. Si autem bigamus eſſet, id eſt, ſua mortua aliam vxorem duxiſſet, nullo modo ad ſacerdotium accederet. Sanè quod nullus tempore apoſtolorum legitur pro hac culpa ab officio altaris depoſitus, hæc cauſa eſt, quia cũ eſſent pauci Chriſtiani, ſacerdotes erant rari, & hi omnes perfectiſſimi, ita vt ſumma vi caſtitati ſtuderent, et omnes penè martyrium pro ſanctitate ſubirent. Clemens quoq; Petri Pauliq; diſcipulus, & in apoſtolica ſede ſucceſſor eius canones apoſtolorum tradẽte Petro ſcripſiſſe fertur, in quibus ſcriptum reperitur. Si quis

De ſucceſſionibus apoſtolorum.

quis episcopus vel presbyter fornicatus fuerit, deponatur. Ecce quod tu vocas coniugium, sacri canones appellant stuprum, igitur quia spiritus sanctus per os ecclesiæ principis, & per vas electionis sacerdotibus ecclesiæ castitatem indixit presbyteris post acceptũ ordinem vxorem ducere non licet. Nunc videndum vnde hæc nefanda consuetudo vsquequaq; inoleuit, quod licenter pasim vxores duxerint, cum contra Apostolica instituta neophyti, id est, nuper ad fidem cõuersi, quidam quidẽ propter necessitatẽ, quidam autem propter auaritiam ad sacerdotium assumerentur. Legũ diuinarũ & sanctionum canonicarum ignari, prioribus vxoribꝰ cõmittebãtur, reclamãtibꝰ canonibus et oĩbus apostolicis viris sanctæ religionis cultoribꝰ. Et cũ hic mos aliquantulũ cõualuisset, iã quasi licenter cũ cõiugibus post acceptũ ordinẽ cõmanebant, & illis mortuis, quidã alias ducebant. Et hoc quidẽ alicubi à religiosis acerbiter impugnabatur, alicubi patienter iam tollerabatur, quia aliquis modus illis tũc inerat, cum vna contenti erant, & multi illorum post filiorum procreationẽ seculum reliquerũt, & reliquum vitæ castè & sanctè vixerunt. Hoc autem tempore cum Dei timore & humano

O Iuditium.

De vxoratis presbyteris.

mano pudore reiecto: more canum cum quibuslibet meretricibus passim se impudēter coinquināt, et velut sues de volutabro immunditiæ se dominicis sacramentis temerè ingerunt, insuper et suam turpitudinem pertinaciter defendunt. Apostolus dei zelo ductus omnibus presbyteris secundum canonum instituta coniugium interdixit, & non obedientes vinculo anathematis vinciens strinxit. Hic fortè dices, quomodo adolescens castitatem seruare poterit, qui accepto ordine ad illam primitus ætatem peruenit q̄ hanc rē potest perpetrare. Audi Canonicā censuram: Nullus ante triceſimum annum ætatis, quamuis sanctißimus, quamuis doctißimus, & hic tantum qui inter religiosos monachos aut regulares canonicos conuersatur. Quo tempore dominus baptizatur, & à patre ad prædicationem destinatur. Vnde dicitur, quæ cœpit Iesus facere et docere, quod proprium est sacerdotum, prius facere, deinde docere. Si autem vxoratus regnū animarum suscipere debuit, nullo modo eum ecclesiastica regula ad sacerdōtium admisit, quo tempore carnalis concupiscētiæ ardor in eo tepuit: prius nāq; ei vxore vti licuit, hac autē ætate peracta, si verbo & exemplo populo dei

vtilis iudicabatur, ad sacerdotium adsumebatur. Si verò post acceptum ordinem sacerdotij cum priore vxore, vel cum alia rem habuerit, ecclesia à suo ministerio, vt præuaricatorem repulit. Qui autem exacto tricesimo ætatis anno, si doctrina valent, propositum castitatis habent, hos canonica institutio, nõ solum ad sacerdotium admittit, sed etiam ad quodlibet ecclesiasticum regnum recipit. Igitur qui aliter ad sacerdotiũ accesserit, quàm Spiritus sanctus & ecclesia intrauerit, non vt sacerdos ab ecclesia dehonorabitur, sed vt præuaricator à deo condemnabitur. Quadruplex verò crimen conuincitur, vbi adolescens vel ad sacerdotium, vel ad regnũ ecclesiasticum eligitur. Primo ipse criminis reus tenetur, qui fastu superbiæ ante præfatum tempus ad indebitũ gradum promouetur. Secundo, fratres in cœnobijs, vel eius amici aut cognati, immo impetratores inueniũtur. Tertio, episcop⁹ se crimine obligat, dum contra apostolica decreta indignè manũ imponens alienis peccatis cõmunicat. Quarto, ipse miser maximo flagitio obuoluitur, dũ superba mente super alios elatus extollitur: et cum cunctos quasi inferiores despicit, iam quasi licenter in voraginem immunditiæ irreuocabiliter

De criminibus.

biliter sordidus immergit. Itaq; legitima ætate tantũ florentes, & votum in castitate habentes, canones ad sacerdotium admittunt, alios autem ab hoc officio repellũt. Vnusquisq; officium hoc vsurpet, quod implere non præualet. Si enim à Lectoris gradu actionibus prohibetur, quomodo sacerdotio cõtra ius fasq; fungitur, à quo ipsum officiũ castè viuendo nõ persoluitur: Ergo nullus debet ad sacerdotium eligi, nisi à quo per scripturarum sententiam, & vitæ castimoniam, & ætatis reuerentiam ipsum ministerium potest impleri. At inquies, Multi ad sacerdotium festinãt, vt vitæ necessaria adquirant. Audi quàm malè illa diuitia cõgregantur, per quas æterna ægestas, ignis inextinguibilis, vermes immortales mercãtur, cum tot artes sint & ingenia, per quæ homo sine criminis reatu possit superare vitæ necessaria. Quàm pulchrum est enim terram colere, & de ea diuersi generis fructus colligere? Quã pulchrum est enim piscari, quàm delectabile venari, quàm glorioſum pingere, vel scribere, vel sculpere, aut aurum aut argentum malleo attenuare, in diuersas species mutare, cuprum, ferrum in diuersos vsus? Quàm vtilè pelles acu, calciamenta subula consuere: & de his singulis De diuersis artibus.

gulis victum et vestitum superare? Quid miser homo ad indebitum sibi culmen properat, cum in peius ad interitum animæ ruat? Quãto enim quisq; altius inconsultè ascẽderit, tanto profundius in ima lapsus proruit. Si homo vniuersum mundum lucretur, quæ commutatio ꝑ anima sua reddetur. Sed, prôh dolor, has artes multi contemptibiles ducunt, & suos filios propter vanam gloriam, aut propter auaritiã ad literas discendas tradunt, & dum eos corporali exercitio adimunt, fornicatores efficiunt. Ipsi verò dum se desidiæ & libidini subijciunt, serui damonum per immunditiã fiunt.

De indoctis sacerdotib⁹. Quidam autem illorum ob lasciuiã, quidam ob penuriam min⁹ literis imbuuntur, et à clero ob inscientiam dedignantur, per pecuniam sacros ordines aut ecclesiasticum regnum attingunt, & ipsi cœci duces cœcorum fiunt. His per prophetam dicitur: Canes muti non valentes latrare,

De canibus. Canes quisq; ideo in domo habet, vt contra fures et latrones latrent: Domus dei est ecclesia, cuius sunt sacerdotes, Fures demones sunt, qui non pecuniam sed animas furari quærũt, Lupi sunt hæretici qui gregem domini seducendo lacerant, oues Christi ad vitia persuadendo strãgulant. Contra hos bonus canis

latratus

latratus edit, dum sacerdos caste viuendo & bene docendo eis publicè, cõtradicit: Isti autem dum peruerse viuunt, in sordibus suis obmutescunt, & ipsi quia eadem agunt, in alijs prædicare non præsumunt, nec etiam sciunt. Igitur hi tales non sunt sacerdotes, sed ruinæ populi, et animarum deceptores. Hi quia à patrefamilias nõ vocati superius nituntur ascendere, et primum locum alijs præparatum in populo iactanter habere, veniẽte domino domus, incipiunt nouissimum locum tenere cum rubore. Tunc videlicet ligatis manibus & pedibus in exteriores tenebras proiecti sordescunt, quia nunc in domo dei sine veste nuptiali pretiosis vestibus ad luxum fulgescunt. Dicis ergo, si tales vt dicis eligendi sunt, rari præsbyteri, & qui dei seruitium peragãt pauci erunt. Audi: Melius est vna columna marmorea totũ domus machinã sustentare, quàm centum arundinibus suppositis totum pondus dilabi. Ita vtiq; longè melius est vno catholico sacerdote ecclesiæ machinã fulciri, quàm centũ hæreticis populum Dei perditum iri. Non enim te scandelizat paucitas bonorũ, sed multiplicitas malorum, quia arcta & angusta est semita quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam: lata autem

autem est & spacioſa via quæ ducit ad interitum, & multi ambulant per eam. Deniq; ecclesia non quærit pluritatem, sed puritatem. Olim nanq; in solo Abel constabat, et progenies Cain multiplex erat. In arca quoq; paruo delituit numero, dum totus populus ob iniustitiam perijt in cataclysmo. In sola Abrahæ generatione fructificat, dum reliquus populus idolis immolabat: in sola gente Hebræorum florebat, dum totus mundus idololatriæ deditus erat. In solis apostolis aliquãdo pullulabat. Igitur ecclesia gaudet de sinceritate iustorum, & respuit multitudinẽ impiorum. De illis dicitur: Nolite timere pusille grex, quia complacuit patri tibi dare regnum. De istis autem: Congregatus est numerus, vt arena maris ad occisionem. Itẽ de malis, multi vocati, de bonis autem dicitur, pauci verò sunt electi. Nullum seruitium autem eos Deo facere solum hac conuincitur ratione: Omnes qui in immunditia fornicationis vitam ducunt, Deo seruire nõ poterunt, sed ipsi in fornicatione viuunt. Omnis enim illicitus cõcubitus, fornicatio est: Præsbyteris autem omnis concubitus illicitus est, igitur omnes præsbyteri qui cum vxoribus se polluunt fornicatores sunt, et quãdiu in fornica-

De immũdis sacerdotibus.

nicatione viuunt, non Christo, sed Dæmoni immunditiæ seruiunt. Hi sunt Christi aduersarij, & publicè hostes dei. Dicitur enim: Qui non est mecum, contra me est. Et iterũ: Si quis est amicus huius sæculi, inimic⁹ dei cõstituitur. Ipsi autem non solum sæculi, sed diaboli se amicos ostendunt, dum studium immũditiæ, seruitio Dei præponunt. Item scriptura dicit: Si peccauerit vir in virum, orabit vir pro eo, si peccauerit in Dominum, quis orabit pro eo? Baptizatorum corpora sunt spiritus sancti templa, igitur multũ in dominũ peccant, cum eius templum fornicando violant, et ideo disperdet illos Deus cuius iram prouocãt.

De vxoribus eorum.

Mulieres autem illorũ non vxores, sed fornicarias esse his accipe. Præsbyteri ecclesiæ aut castè viuunt & sacerdotes sunt, aut incestè, & fornicatores existent: sed ipsi incestuosam vitam ducunt. Mulieres autem illis illicitè iunctæ sunt, igitur fornicariæ sunt.

De filijs eorum.

Filij autem illorum inter infames à canonibus censentur, & ad sacros ordines accedere, & testimoniũ ferre prohibẽtur: quod si sæculum non reliquerunt, serui ecclesiarum non hæredes parentum sunt.

De pollutione.

Si autem à canonib⁹ altari ministrare, nisi pro magna necessitate, illi interdicitur, qui per somnium

nium in nocte et inuitus polluitur, quanto magis ab omni altaris ministerio repelluntur, qui tota voluntate singulis noctibus cum meretricibus polluuntur? Non est fas dici quantum piaculum sit, cum quis de meretrice ad altare currit, & sordes suæ immunditiæ dominicis sacramentis intergit. Dicitur enim: Non expiatur eius iniquitas hostijs & muneribus in æternum. Et iterum: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Ac si diceret: Alij peccatores à sanctis iudicabuntur: isti autem cum omnes peccatores excellant, ab ipso Deo damnabuntur. Dicis itaq; : Illa nocte cũ mulieribus non dormiunt, cum in crastino missas celebraturi sunt. Audi, si laico præcipitur, ut se per triduum ab vxore abstineat antequã corpus Domini accipiat, & post acceptionem similiter per tres dies se contineat: Istis postquam fornicantur, licet secundo aut quouis die dominicis sacramẽtis appropinquare, cum laico post fornicationem, non nisi post. vij. annos in pœnitentiam exactos liceat communicare? Et quomodo præsbyteri vxores habeant, cum nec hoc reliquis altaris ministris liceat. Canones enim præcipiunt, ut si quis diaconus vel subdiaconus promouendus sit ordine, prius in præsen-

De laicorũ abstinentia.

præsentia episcopi Deo & sanctis faciat castitatis professionem. Itaq; qui publicè in fornicatione viuunt, sarificium Deo offerre non poterunt, quia extra ecclesiam sunt. Locus autem sacrificij tãtum in ecclesia est. Ipsos autẽ in ecclesia non consortiũ habere liquet, cognosce expulsionis excludium. Omnis fornicator & immundus non habet partem in regno Christi et dei, sed ipsi fornicatores sunt & immundi, & ideo partem in regno dei, quod est ecclesia, non habent, igitur extra ecclesiã manent. Deinde verò à christianis sunt, quia excommunicati sunt. Hi autem ratione conuincuntur esse sub anathemate. Ecclesia per spiritum sanctum constituit presbyteros castè et sine vxoribus viuere: Omnes autem Christianos conuenit ecclesiæ obedire, sed ipsi ecclesiam nõ audiunt, id est, statutis non obediunt, igitur vt Ethnici, id est, pagani habendi sunt. Item accipe, linguæ apostolorum claues sunt regni cœlorum, quod ligauerint ligatum erit, quod soluerint solutum erit: Apostolus autem omnes vxoratos presbyteros excommunicauit, si ipsi vxorati sunt igitur excommunicati sunt. Primus nanq; Gregorius vir per omnia Apostolicus, scriptum reliquit in suis decretis syno-

De excommunicatione sacerdotum.

dalibus: Presbyter qui vxorem duxerit, anathema sit, & dixerunt omnes Episcopi amē. Si Gregorius papa iuditio omnium Episcoporum vxoratos presbyteros vinculo anathematis alligauit, igitur omnes presbyteri qui publicè cū vxoribus, immò cum meretricibus polluuntur, anathematizati sunt. Si dicis decretum Apostolorum tantū valere in vita sua, post mortem autem illorum esse irritum, audi, si edictum apostolorum post mortem vim non habet, tunc Petri vel Pauli, & aliorum sanctorū institutа post solutionē carnis illorum nō valēt. Immò in morte illorū scita eorum firmātur, dū ipsi Christo et cœlesti ecclesiæ associātur. Dicis ergo: Si presbyteri fornicatores excōmunicati sunt, ergo & Laici fornicatores anathematizati sunt. Audi: Quantum differt lux à tenebris, tātum differt ordo sacerdotum à laicis. Si laici fornicantur, aut aliquid aliud contra regulam religionis agunt, non ideo ecclesia eos a cōmunione priuat, sed patienter tolerat, & ad patientiam prouocat, nisi fortè rebelles extiterint, tunc ab omni communione eos canonica censura segregabit. Presbyteri autem qui speculum debent esse laicorum per bona exempla, duces cæcorum nominatim ab apostolica

De laicis.

animad-

animaduersione, excõmunicati sunt, si publicè in fornicatione viuunt, quia per malum exemplum homicidæ populorum existunt. Et sicut laicus qui vxoratus est, si cum alterius vxore mœchatur, nullo modo saluari posse nisi resipiscat comprobatur, sta nulla ratione presbyter saluabitur, si cum vxore inuenitur. Itaq; præsbyteri contra ius fasq; vxorati, quia probati sunt extra ecclesiam positi & excommunicati, Missas ab eis audire vel alia sacramenta percipere, nõ solũ nihil prodest, sed multum obest: & ideo illorũ sacramenta & Missæ ab omnibus Christianis sunt deuitanda. Quæcunq; fiunt cõtra statuta, nõ sunt dei seruitia, & quæ fiunt extra ecclesiæ decreta, non sunt sacramenta, sed ipsi contra Dei statuta viuunt, contra Ecclesiæ Decreta agunt, ideo nec veritas in Missis eorum agitur, nec virtus sacramenti per eos conficitur. Quod autẽ simulacra Missarum agere præsumunt, domino vtiq; illudunt, & maledictionẽ pro benedictione super populum sibi communicando consentienter inducunt. De eis enim scriptum est, Cõuertam enim benedictionem vestrã in maledictionem. Clamor orationis eorum pro populo nõ exaudietur, quia oratio eorum in pec-

Ipse deiit

De Missis eorum.

catum conuertitur, sacrificium illorum à domino non suscipitur, nec sacramentum sed laqueum & inditium sibi, populo verò mortis poculum ab eis cõficitur. Vnde dicitur: Sacrificiũ vestrum odiuit anima mea, quia panẽ pollutũ obtuliſtis mihi, ait dñs. Ecce quidẽ ipſum ſacramentũ hoc dominꝰ vocat pollutum panẽ. Igitur qui eis ſcienter communicant, maledictionẽ pro benedictione ſuper ſe cumulant: Et ſi quis illorum pollutum panem pro ſacramento accipiat, ita eſt quaſi panem de ore canis ſordidatum ſumat. Miſſa non fit melior à bono celebrata, nec peior à malo decantata. Audi: Vtiq; verba diuina ſancti Euangelij ſiue lectionum ſiue orationũ, à bonis non meliorantur, et à malis minimè peiorantur, ſed à bonis prolata à deo pro eccleſia ſuſcipiũtur, à malis autẽ dicta renuuntur, imo ipſi hac profitẽtes redarguuntur. Peccatori enim (dixit Deus) quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamẽtum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, et proieciſti ſermones meos retrorſum. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, quia auertit aurem ne audiat legem, huius oratio eſt execrabilis. Iuſtus autem aperiet os ſuum in oratione, & dominus exaudiet eum, & antequam

Mal. 1.

De Miſſa malorum vel bonorum.

Pſal. 50.

tequã eũ inuocet, dicet adsum. Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Substantia quoq; panis & vini nõ fit melior in manibus boni oblata, nec peior q manus impij sacrificata, sicut nec aurum in manu regis melioratur, nec in manu pauperis deterioratur. Verũtamen per consecrationem, bonis, panis angelorum & vita animæ efficitur, malis autem in iuditium conuertitur: Hæreticis autem & ab ecclesia pro sceleribus segregatis poculum mortis conficitur. Et ne hæc fiant infirma, accipe scripturæ testimonia. Certè eadem verba quæ Petrus & apostolus in confessione domini protulerunt, hæc eadem & dæmones clamauerũt. Petrus nanq; pro Apostolis respondit: Tu es Christus filius Dei viui. Si per apostolos prolata collaudantur, & multa mercede remunerantur, Dæmones autem hæc loqui non simuntur, immò hæc loquentes pœnis subduntur. Reuera etiam sacrificium non erat melius quod Abel obtulit, q̃ quod Cain domino sacrificauit, neq; deus plus delectabitur agno quàm tritico. Non enim quod offerebatur, sed quis offerat, attendit. Et ideo sacrificiũ iusti Abel qui semet ipsum deo per deuotionem et simplicitatem obtulit, accepit, Sacrificium Cain parricida

De sacrificijs eorum.

riciida, qui per malitiam & inuidiam se Deo abstulit, renuit. Igitur per preces & hostias iustorum placabitur deo, quia vota iustorum placabilia: ꝑ clamores autẽ et murmurationes impiorum exasperatur, quia victimæ impiorũ abhominabilia deo. Dices autem: Sacramẽtum non est in meritò offerentis, sed in gratia & in benedictione conferentis, præsertim cum Iudas cum apostolis prædicasse legatur, et baptizasse. Audi: Sacerdos occultè peccans ab ecclesia tolleratur, & causa eius cordium inspectori reseruatur, & omnia sacramenta ab eo exhibita, vt ab optimo erant rata, præsertim cum ab optimo non meliorentur, nec à pessimo peiorentur. Qui vero contra dei et ecclesiæ institutа publicè in immunditia sordescit, insuper et suam impudicitiã defendit, hic vt Hernicus habendus erit, & omnia respuenda & proculcãda quæ fecerit. Quàmdiu enim Iuda crimen latuit, tam diu in consortio Apostolorum prædicando et baptizãdo clarnit: Mox vt facinus eius patuit, nullam cõmunionem cũ eis habuit. Quamuis Iudas non legatur vxorem habuisse, nec dominica sacramenta celebrasse, sed cum polluta conscientia sacramentũ percipere præsumpsit, mox diabolus in eum intrauit,

De sacramẽto eorum.

De Iuda.

trauit, vnde currens ad laqueũ se stragulauit.

Hic forsitan quæritis quid videatur de simoniacis. Dominus Iesus ementes & vendentes de templo eiecit: hic dixit: Gratis accepistis, gratis date. Igitur qui spiritualia dona emit vel vendit, quæ dominus gratis dare & accipere præcepit, hunc Iesus de templo ecclesiæ eijcit. Modum autem eiectionis cognosce. Qui pecuniam pro ordinibus accipit, lepram animæ incurrit. Qui pecuniam pro ordinibus dabit, cum Simone in perditionem vadit, ambo autem hæretici sunt, Hæretici autem extra ecclesiã sunt, quia ab omni ecclesia anathematizati sunt, & extra ecclesiam verò positi spiritum sanctum non habent, per spiritum sanctum autem datur benedictio, igitur quod ipsi non habent, nulli dare poterunt, sed cum non habẽt benedictionẽ, igitur dabunt maledictionem. Qui igitur pecuniam pro ordinibus offerunt, maledictionẽ recipiunt, ergo non consecrati, sed sunt maledictione grauati, igitur tales populum nõ benedicunt, sed potius maledicunt. De Symoniacis.

Qui autem ecclesias emunt, non per ostia intrant, sed cum Symone Mago aliũde in ouile ascendunt, ideo fures & latrones sunt. Qui verò ecclesias vel alia charismata vendunt, De Fure.

dant, cum Iuda traditore Domini & ecclesiæ corporis eius traditores sunt. Igitur immũdi cũ sint Christi aduersarij et publicè hostes dei, ab amicis dei sunt modis omnibus deuitandi. Simoniaci verò cum fures & latrones, lupi communicantur, oues pascue dei eos non consequantur, & voces eorum non audiant, sed eos omnibus modis fugiant. Dicis itaq; : Non est vox illorũ, sed dei, quod legunt, cãtant, prædicant, & si diabolus aliquid boni dixerit, nõ eius sed dei vox est, cum omne bonũ à deo sit. Audi: Verum est vox dei est quod legunt, cantant, prædicant. Ideo præcipitur, quæ dicunt facite, secundum autẽ illorum opera, nolite facere: sed dei sacramenta non sunt ab hæreticis polluenda. Vnde cum dæmon diceret: Scimus quis sis filius Dei, dicitur enim à domino, obmutesce immunde spiritus. Ecce quia erat immundus, sacra verba recitare erat indignus. Non verba dei, sed ipsi peruerse viuentes aspernantur, et christianis in sacramentis quæ indignè & contra indictum agunt deuitantur, ne per responsionis confirmationem (amen) eorũ malis operibus se cõmunicent, & per hoc etiã damnationis illorum participes fiant. At inquiès: Nonne bonum opus operantur, cum Miſ-

De canta eorum.

sas

fas celebrãt? Audi: Reuera nomen est. Si ergo tu diadema capiti indueres, sceptrum dextera assumeres, à populo te vt regem salutari iuberes, nonne de bono malum faceres? Ita ipsi bonum in malum conuertunt, dum Missas solis castis & catholicis celebrandas, luxuriosè vel symoniacè viuẽtes, celebrare contra indictum ecclesiæ præsumunt. Ideo nõ missa sed prævaricationis præsumptio & inobediẽtiæ rebellio est quod agunt. Vnde dicitur: Scelus est idololatriæ nolle obedire. Ecce illorum ministerium idololatriæ comparatur. Nec etiam fas est credi, ab eis posse sacramentũ confici, cum Petrus dicat Symoni: Existimasti pecunia posse donum Spiritus sancti possideri, subauditur quòd non potest fieri. Hic dices: Si sacramenta non cõficiunt tũc quod in altari sumunt, & si nihil prodest, nihil eis etiam nocet, vel his qui hoc ab eis percipiunt. Audi: Sicut Gentiles non veritatem, sed magis sacrilegium exercent, dũ secundũ similitudinem sacrificij dei idolis suis sacrificium exhibent, ita absq; dubio isti idololatriam operantur, dum ipsi seruitijs dæmonis immunditiæ dediti, verum sacrificium imitari, non in re operari cõprobantur. Vnde quod sumunt vel dant, non sacramentum sed idolo-

De sacramentis eorum.

latriũ. De sacerdotibus Iudeorũ dicitur: Qui comederit de pane sanctificato, etiã immũditia est in eo, & peribit de populo dei. De omnibus qui intra ecclesiam sunt, dicit: Qui indignè corpus accipit, iudicium sibi mãducat & bibit. De his verò infra ecclesiam tantũ nomine, foris autem operatione: Immundis & coinquinatis nihil est mũdum. Hi in apocalypsi canes dicuntur, foris canes et immundi. De his dominus dicit: Nolite sanctum dare canibus. Ac si diceret, Nec ego dabo eis. Igitur cũ canes & immundi et foris sunt, sanctum eis denegatur, & ideo non est sanctum sed immundũ quod ab eis percipitur vel datur. Hi tales cum hæc legunt vel audiũt irridõdo despiciunt, imò detrahendo lacerant, & persequendo impugnant, & sermo veritatis non capit in eis, quia non sunt de eius ouibus. Ideo tale poculum eis ab eo porrigitur: Va vobis qui regnum cœlorũ hominibus clauditis, vos non intratis, & volentes intrare nõ permittitis. Quod populus communicans eis, inimicis suis ob hoc tradatur, & multa incommoda propter illorum merita patiatur, sacra historia declarat, quæ de filijs Heli sacerdotibus scilicet narrat, quod dei sacrificium subriperent, et cum mulieribus

De populo eis communicante.

deo

deo dicatis dormirent, et ideo populus eis communicans, traditus sit cum eis in manus inimicorum ad. xxx. & eo amplius millia hominum. Insuper & archa, videlicet gloria illorũ sanctificationis, ab eis est ablata, & ad inimicos eorum allophilos allata. Vnde patet quòd populus ob iniquitatẽ sacerdotum sæpè ab inimicis capiatur, dispergatur, occidatur, & sacra loca ab eis contaminata, aut incendio aut hostili confusione vastentur, quia non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus digni sunt morte. Inde est quod crebrò veniũt in mundum diuersæ clades, nunc tẽpestas, nunc siccitas, nũc fames, nũc bella, nunc pestilẽtiæ et alia huiuscemodi. Ergo immunditiæ sacramẽtorum declinandæ sunt. Dices itaq; Quid fiet de nobis miseris? Quò nos vertemus? Vbi seruitium dei audiemus? Vbi sacramentum cõmunionis accipiemus? Mundus de talibus penè plenus est. Audi: Si zelo dei & obedientia ecclesiæ illorum missas immo maledictiones audire contempseris, omnium Missarum quæ in toto mundo à catholicis sacerdotibus celebrantur particeps eris: si autẽ ecclesiæ decreta contempseris, et te illorum immundæ cõmunioni temerè miscueris, cõmunione omniũ

missarum te priuabis, & sola maledictione ab eis prolata te insolubiliter illigabis. Et si pollutum illorum panem accipere spreueris, & te membrum Christi & ecclesiæ fide & operatione ostendis, sacramentum ab ecclesiæ sacerdotibus quotidiè confectũ per eorum os, intrat cor tuũ, quia bene manu vel pedi esca proficit quam os sumit.

De alijs sacramentis.

Hic fortaßis inquiritis si alia Sacramenta ab eis exigere debeatis, scilicet ad baptismum illorum concurrere, mortuos eis sepeliendos deferre, vel peccata eis confiteri, vel infirmos ab eis oleo vngi. Canonica authoritate quos in vno sacramento declinauimus, his in nullo alio communicamus. Præsbyteri vxorati & symoniaci extra ecclesiam probati sunt excommunicati, extra ecclesiam autem nullum est sacramentum, igitur ab illis nullũ debet exigi.

De baptismo.

Si infans morte periclitatur, & nõ est propè catholicus præsbyter, ad quẽ curratur, à laico inuocatione Trinitatis baptizetur, quia hoc frequenter factũ in ecclesia docetur: Sed dicit aliquis nõ ab alio sacerdote quàm à suo debet baptismum & alia sacramenta petere. Bene si oues domini sacerdotem pastorem agnoscant, ad eum currant, vt pabulum pascuæ vitæ ab

eo

eo percipiant. Si autem lupum sentiant, oues totò annisu ad verum pastorem confugiant. Si autem infans à simplicioribus quibuslibet eis allatus & ab eis fuerit baptizatus, non rebaptizaretur, quia non illorum quod datum est fuit, sed illius qui accepit. Quia & populus dei aurum & argentum ab Ægyptijs accepit dum in terram promißionis ire debuit. Similiter populus à Babylonijs aurũ acceperat, quod Ierosolimã veniẽs in dei ornatũ iniecerat. Vnde canonica authoritate, si quis à Symoniacis ordinatur, ab omni officio ecclesiæ sequestratur, sed si ad ecclesiam conuertitur & eius vita vtilis in clero iudicatur, non reordinatur, sed per manus impositionem catholici episcopi reconciliatur.

Si quis moritur, non eis ad sepeliendum deferatur, ne corpus in baptismate benedictum à maledicto sacerdote maledicatur, sed si non potest catholicus præsbyter conuocari, debet à fidelibꝰ laicis tumulari. Sed dicis: Prohibeor ab illo, & à populo, sepelire eum in ecclesiæ cimiterio? Audi: Si videris eum tyrannidem exercere, & tibi gremium ecclesiæ prohibere, scito totum mundum esse dei templum & sanguine Christi dedicatum, et vbicunq; mortuum tuũ De sepultura.

posueris, in gremio ecclesiæ collocabis. Si autem mortuus amicus scientibus eis perlatus ab eis sepelitur, non effodiatur, quia illius fide simplici saluatur, & sicut paraclètus fide portantium à Domino cũrabatur. Et hac communio nõ nocet, nisi vbi se prudentium consensus scienter prabet.

De confessione.

Peccata eis nulla confiteantur, quia non est confessio, sed peccatorum probatio, & eorũ absolutio magna est obligatio. Olei vnctio & Christi corporis perceptio infirmis minimè ab eis æstimatur oblatum, ab eis nullo modo suscipiatur, sed vt stercus penitus respuatur, quia illorum olei & panis confectio, non est salus sacramenti, sed interitus mortis aduectio. Sanus autem quisq; religiosis vbiuis gentium confessionem faciat, ab eis dominica sacramẽta percipiat.

De communione.

Ad extrema autem veniens, Si catholicus sacerdos non adest deo confessionem faciat, & se cõmunionẽ in vnitate ecclesiæ quotidiè percepisse credat. Quia & Paulus heremita, & multi alij leguntur in heremo absq; cõmunione diuturnã vitã duxisse, et ita finiuisse, sed tamẽ quotidie in vnitate communicauisse. Si autem quis omni vita sua iuste vixerit, ad extrema veniens

veniens scienter se communione eorum cõmaculauerit, omnem priorem laborem perdit, & se insolubiliter vinculo anathematis inuertit. Concludere igitur licet, presbyteri vxorati vel symoniaci cum canes sunt, porci, Christi aduersarij, publicè hostes dei, fures, latrones, lupi excommunicati, et omnes qui eis communicãt damnati, ideo ab omni populo Dei in dominicis sacramentis sunt deuitandi.

Forsitan quaeritis, si debeat eis decimatio dari, aut si sit peccatum, denegari? Decima est pars domini, ipsi verò probati sunt hostes dei. Pars ergò dñi tollatur, et eius hostib⁹ tribuatur: Absit. Quicunq; decimam eis vel oblationes dederit, hostes deo ad rebellandum deo pascit. Non autẽ ideo debet eam sibi quis retinere, cum non debeat eis dare, quia qui eam retinuerit, predã de bonis domini facit. Pars Domini ergo detur membris Christi, scilicet pauperibus, egenis, viduis, orphanis, monachis, religiosis clericis: instaurentur ecclesia, edificentur per eam platea. Quicquid dictum est de magistris, sentiendum est similiter de eorũ vicarijs, quia cum sint mercenarij non pertinent ad oues Domini. De decimatione.

Ecce me vt agnum posuistis in medio lupo- Conclusio.

rum,

rum: undiq; lacerer saevis dẽtibus eorum. Opposui mihi hoc offendiculum quo in eo quasi in firma petra eorum dẽtes offendãtur. Et quamuis cæci videntes & scientes in eo vt in morte offendantur, at nisi resipiscant, in infernum viuentes descendant. Ouibus Christi firmum composui repagulum, ne repentina luporum inuasione incursentur, & improuisè ab eis strangulentur. Certumq; iter significaui, quo inoffenso pede liceat ad pastoris tutelam properari vbi à nemine possint de manu eius rapi. Qui his cõtradixerit, se esse clamabit de numero.

Inquisitio de apostatis.

Scrupulosissima quæstio est de incestis sacerdotib°, multis obscuritatibus inuoluta, tandem aliquãdo ad plenum perfectè soluta, veluti de turre firmissima multis propugnatoribus tuta, longa demùm obsidione ac multo sudore diruta, atq; mille defensoribus eius expugnatis, & cum Golia proprio mucrone prostratis. Eia bellator ecclesiæ gladium verbi Dei arripe, & lupis qui oues Domini crudeliter strangulant occurre, atq; gregi dei laborãti quantotius bonus aries succurre. Sunt quidã qui à proposito monastica professionis deficiunt, habitum abiciunt, ecclesias regendas suscipiunt, vxores ducunt, & omnibus sæcularibus negotijs plusq; secu-

seculares subdũtur: poscimus ergo te insinuare qualiter in Christo manentes ab huiusmodi se debeant obseruare.

Nolite mirari nec vos scãdalicet cum quis à proposito suo defecerit, sed valde miramini et multum vos edificet, si quis in incepto suo bono in finem perseuerauerit. Responsio.

Multi enim incipiũt quæ pauci ad vnguem perficiunt. Multi in stadio currũt, valde pauci brauium accipiunt. Vnde dicit dominus: Angusta est semita quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam; Lata & spaciosa est via quæ ducit ad mortem, & multi ambulãt per eam. Nõ est omnium donum perficere bonum quod inceperunt, sed eorum tantum qui ab æterno ad vitam prædestinati sunt. Cur autẽ ad conuersionem veniãt qui in ea perseueraturi non sunt, causa manifesta est, quod videlicet seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. De paucis bonis.

Sæpe præuaricans filius à seruo ad patrem trahitur, vt corrigatur, aut bene agens à seruo vocatur, vt à patre remuneretur. Si isti per exemplũ assumpti habitus religionis, filios dei de via erroris trahunt ad gratiam conuersionis, & filij quidem in domo permanebunt, & De Seruis & Filijs.

hæredes patris erunt, serui autem cum ad hæreditatem non pertineant, ad derelictum opus recedunt.

De Iuda. *Hinc est quod Iudas reprobus in collegio prædestinatorũ venit, et tamdiu inter eos mãsit, quoadusq; filium summi patris pro salute mũdi tradidit, et peracto seruitio ad suos consortes rediit. Hos tales Dominus in vestimentis ouium lupos rapaces demonstrat: & apostolus falsos fratres appellat. Hinc ad explorãdam sanctæ cõuersationis libertatem ab hostibus Christi mittuntur, sicut exploratores contrariorum, consilia & actus explorare dirigũtur. Et quia ex vobis non sunt, ex nobis exeũt, et secreta sanctæ religionis suis cõplicib⁹ irridẽdo produnt. Vnde miror vos super huiuscemodi sciscitari quid debeat obseruari, cum audiatis quotidie in omnibus ecclesijs recitari: Canis reuersus ad vomitum, sic stultus iterans stultitiæ actum. Quos ergo spiritus sanctus canibus comparat, hos ecclesia à suo cõsortio reprobat. Et quia canum more omni immunditia polluuntur, à cœlesti Ierusalem penitus excludũntur.*

Quod canes sunt. *Vnde dicitur, foris canes et immundi. Canes sunt, quia ad vomitum iniquitatis recurrunt.*

Immun-

Immundi ſunt, quia vt ſues in volutabro variis ſordibus ſe inuoluunt. Inter illos nanq; apoſtatas Angelos computantur, qui in tenebroſo carcere æternis ignibus tradendi reſeruantur, qui domicilium ſuum non ſeruauerunt, ſed à laude dei & à conſortio angelorum apoſtatauerunt. Ita iſti quia ſuaue iugum domini obiecerunt, & caminum examinationis ob impacientiã, ob rebellionem, ob luxuriæ furorem reliquerunt, in camino æternæ damnationis perpetuò ardebuntur. Iſti ſunt piſces qui rete rumpunt, & in fluctus reſiliunt.

Rete nanq; ſanctæ regulæ & ſacri ordinis inobediendo ſcindũt, per quod de gurgite peccatorum vix retracti ſunt. Concordiam fratrũ rumpunt, de vaſe monaſterij in quo à Chriſto ſunt locati in fluctus ſæculi proſiliunt, & præda dæmonibus fiunt. De piſcibus.

Hos preuidens dominus in euangelio dicit: Nemo mittens in aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Aratro terra colitur, vt fructus ex ea colligatur, per aratrũ intelligunt ſeruitium dei, per quod corda fidelium excoluntur, vt centeno fructu frui mereantur, in quod aratrum manum mittit, qui ſe ad ſeruitium dei conuertit, ſed retro aſpicit dum ſe- De Aratro.

culatia mente conspicit. Et si hominẽ minimè regno dei aptum diuina vox pronũciat, qui in sancta conuersatione positus secularia tantum mente desiderat, quid censendum est de his qui corde & opere Dominũ & eius seruitium, & ad Diabolum & eius seruitium cui abrenunciasse videbantur redeunt.

De Idololatris.

Quid canonica censura de his sentiat, volo vt fraternitas vestra cognoscat. Dicũt canones tã grande flagitium esse monachum propositum & habitum suum abijcere, vel clericum arma sumere, quàm graue est laicum christianitatem relinquere et idolatriæ seruire. Ergo quia idolatris æquiparantur qui à proposito apostatasse & publicè in fornicationem vitam ducere non verecundanter, magis quàm hi de quibus supra tractatum est, in omni seruitio dei sunt denitãdi, et omnibus Christianis in omni communione execrandi.

De fornicatore.

Dicit enim Apostolus, si quis frater in vobis fornicator nominatur, cum huiusmodi nec cibum sumite. Notate quòd dicit in vobis. Si illi non debent in cibo communicari qui in ecclesia probantur fornicari, ab omni cõmunione ecclesiæ sunt reprobandi qui Dominum & ecclesiam p apostasiam reliquerunt, et extra ecclesiam

ecclesiam publicè in fornicationem sordescunt. Qui igitur eos sciens quæ eis dixerit eorũ malis operibus communicat & ideo damnationis etiam illorum particeps erit.

Accusator illorum apud Deum est Sanctus Benedictus qui describitur omnium iustorum. Eorum sunt accusatores omnes huius religionis sanctæ professores: ipse deus eos damnat quẽ irriserunt: mater ecclesia eos anathematizat, à qua recesserunt: omnes patres & omnes iusti eos excommunicant quos scandelizauerunt. De accusatoribus.

Omnes quippe ex hominibus electi singulis ordinibus angelorũ sunt associandi. Sed monachi summo ordini, scilicet Seraphin creduntur aggregandi: hoc etiam illorum vestis designat, sicut propheta Seraphin in alis habuisse insinuat. Duæ nanq; partes cucullæ anterior et posterior, sunt verò alæ quibus corpus velant, & manicæ alæ quibus volãt, iunctura capitij alæ sunt quibus caput cooperiũt: Sed alæ sunt sex virtutes quibus perfecti leuãtur ad æternas sedes, alæ quæ corpus velãt, est dilectio dei & amor proximi, quæ vero caput tegũt, est fides et spes. Gloriã istius ordinis isti amiserunt, dum à cõsortio monachorum apostatauerunt. Ideo Quod electi angelis sunt associandi.

specialiter ab his summis archãgelis damnati sunt, quia eos specialiter exasperauerunt dum ab eis recedendo apostatis archangelis se sociauerunt, igitur omnes qui à Deo perduntur et à diabolo deuorantur. Vnde dicitur: Esca eius electa, vt enim bos fœnum comedit, sic diabolus seculares deglutium pro summis autẽ epulis ducit si qua huius ordinis deuorare poterit.

De monachorũ vxoribus.

Omnium miserã illæ mulieres quæ eis ad fornicandũ cõsentiunt, quia sulphureo igne aeternaliter cum eis ardebũt. Si enim canones præcipiunt, vt mulier cum presbytero polluta, nunquã alicuius viri amplexus subeat, sed vsq; in finem in pœnitentia maneat, qua pœna hã damnabuntur, quæ cum presbyteris, cum monachis, cum apostatis polluuntur? O quàm infœlices matres quæ tales filias genuerunt? O q̃ miserrimæ filiæ quæ tales nuptias fecerũt? Aliæ nanq; mulieres impudicè viuentes, vna pœna plectentur, istæ triplici reatu puniuntur. Vnum flagitium committunt quod se cum presbyteris polluunt, aliud facinus perpetrant quod se cum Monachis coinquinant, tertio crimini subduntur dum cum apostatis inuoluuntur. Filij eorum, vt dicit scriptura, erũt in die iudicij testes reatus eorum.

Hos

Hos transfugas denotat dū terribilem ma- De male-
ledictionem super eos intonat: Ue mundo ab dictis.
scandalis. Necesse est enim vt veniant scan-
dala: ue homini illi, per quem scandalum ve-
nit. Ipsi sunt totius ecclesiæ scandalum et om-
nium conuertẽdorum obstaculum. Cum enim
eos à suo proposito defeciße desiderant, consue-
tudinem sanctæ conuersationis tam asperam,
tam difficilem astimant, vt ipsi eã nullo mo-
dò implere praualeant, & ita illorum exemplo
in prauitate perseuerant. Et quia non solũ sui,
sed & illorum homicidæ existunt, ideo in illã
maledictionem incidunt: Ue homini illi per
quem scandalum venit: hoc venerit in illo lo-
co quo dolor ah & ue semper erit sine spe.

O qui clauduntur, nequando mori moriuntur,
Vellent quippe mori, quia par mors nulla dolori
Quo miser ille fuit, quem flãma perhennis adurit.
Frons, oculi, naris, ceruix, locus auricularis,
Os, guttur, cranię, fiunt ibi pabula flammę,
Dorsa, latus, venter, flagrant indeficienter:
Nec frigent coxè, nec cætera conscia noxè.
O quàm sit tristis, qui traditur ignibus istis,
Quam sit lugubris, qui traditur esca colubris,
Qui vim fetoris, vix sustinet omnibus horis,
Sæui tortoris, qui tunditur vndique loris.

Quibus miseris non suffecit, vt de humili lo-

co

co ad tartara corruerunt, sed cacumen montis ascenderunt, vt de alto semper ad mortẽ se precipitarent: hi si moriuntur non est pro eis orandum vel sacrificandum, quia (vt dicit Dionysius Areopagita) Dominum blasphemat qui pro impio orat. Hos tales sacra historia figuraliter exprimit, quæ Loth cũ vxore incẽdium Sodomæ fugisse dicitur: Sed dum vxor respicit, in salis mutatæ effigiem remansit. Per Sodomam mundus, per incendium cõcupiscentia, per Loth animus, per vxorem caro intelligatur. Loth Sodomæ incendium declinat, ad montana festinat, cum quis mundi concupiscentiã renuntiat, & ad ardua sancta conuersationis properat: sed vxor respicit, dum carnalis mens mala quæ deseruit repetit. Quæ in salis autem mox mutatur, qui à brutis animalibus lambitur, quia mundi desideria quæ reliquerant auidius & dulcius resumunt, & non iam vt alij homines, sed vt bestia irrationabiliter viuunt, & à cunctis vulgaribus in detractione vilescunt, & nulli iam deo seruienti assimulatur, sed iudicio ecclesiæ cum idolatris censẽatur. Hos alibi sacra scriptura mystice denotat, cum populum corde in Egiptum reuersum, & ob hoc à serpẽtibus exterminatum

terminatum commemorat. Populus ab Egiptiaca seruitute liberatus est quisque à mundi illecebris per conuersationem segregatus, qui etiam per desertum ad terram repromissionis gradiũtur, quia conuersi per secreta claustralis vitæ ad patriam Paradisi ducuntur: Sed Ægiptum repetunt, dum mente ad secularia redeunt. Et si illi ab ignitis serpentibus in corpore perierunt qui Egiptum concupierunt, & isti animæ peribunt qui relictũ seculum mẽte tantum concupiscunt: quid sentiendum est de illis qui toto corpore & corde ad seculum, immò ad vomitum redeunt? Omnibus hominibus sunt miserabiliores, quia & deo & hominibus in seculo sunt abhominabiles. Vnde dicitur, erubescite Sydon & mare. &c.

MAre cum semper sit instabile, & motum in fluctibus semper surgat, tamẽ urbi Sidomorum instabili insultat, quia cum sæcularium vitam nulla stabilitas solidet, istis enim instabilitatem & vagationem improperare solent. Semper enim sunt vagi, pauidi, incerti, suspecti, in nullo loco stabiles, omniũ bonorum conspectum & colloquium declinantes. Quidam illorum abiecto pudore, omnia bona subsannant quæ in cœnobijs viderant. Peccata

sua vt Sodoma prædicant, nec abscondunt, & omnibus sordibus immunditiæ turpius q̃ vllus sæculares se insaciabiliter immergunt, & cum omnes viæ illorum inquinatæ sunt omni tempore lubrium, & sibilus sit omnibus vndiq; in orbe. Sed dicit aliquis, multi à diuitibus ob potentiam, multi à pauperibus ob indigentiam in monasterio ad discendas literas traditi, & quidam nimis adtracti, quidã suasionibus illecti, monachi efficiuntur. Num ob hoc pereunt si à coacto proposito deficiunt? Audi: Si congregatio alicuius filium ad docendas literas consueuerit, non multum peccat hic si non facta professione discesserit. Si quis autem vel minis vel blanditijs motus, iugum Domini susceperit, iam hoc sine damnatione abijcere nõ poterit. Et quia Deus non curat coacta seruitia sed voluntaria sacrificia, necessitatem muter in voluntatem, vbi si nunc Domino se offert voluntarium sacrificium, ab eo accipiat in futuro centuplum: hi si habitum abijciunt, ab amicis admonendi sunt cum Agar ad dominam suam regulam reuerti, & sub ea permittendo humiliari, & bene scire non plus extra cellam, quam piscẽ extra aquam posse saluari. Si dixerit non posse pro verecundia ad

Q iuditium.

clau-

claustrum derelictum reuerti, aliud ingrediatur, in quo duntaxat religio exerceatur, quia vbiq; vni domino seruitur, vbiq; vni regi militatur. Porrò istorum peccatum maximè in prælatos monasterij redundat, qui ob auaritiã vel vanam gloriam tales minis vel blanditijs onus subire cogerunt, quod ferre non valuerũt quia noluerũt. Etenim eos indiscretè constringẽdo vigilijs, ieiunijs, verberibus propulerunt. Si quis à parentibus Deo in monasterium offertur, et secundum regulæ edictum suscipitur, si post temptationem egrediatur, nisi reuersus æterno tormento punietur.

Si quis verò arbitrij sui compos ad cõuersionem venerit, & secundum regulæ institutum per annum probatus professionem fecerit, hic si discesserit, penitus peribit. De sponte conuersis. Ecce sententiam.

Hic est quod puerulus dum à monasterio beati Benedicti fugisset, & mortuus sepultus esset, terra eum expuit, & tamdiu intra se retinere renuit, quousq; ab abbate suo reconciliari meruit. Item alius dum discedere vellet, draco obuiam venit, qui eum deuorare voluit. Ita isti vtiq; à dracone diabolo deuorantur, nisi citius reuertantur. Melius enim non uouere, quam factum votum irritum facere. De puerulo. Fabulæ.

religio-

Si autem monasterium ingreditur, vbi non religiosè viuitur, nũ omnino discedat, sed prauos mores patienter ferat, & exemplum mansuetudinis ceteris præbeat. Quia vt est vituperabile inter bonos male viuere, ita multum est laudabile inter malos bene viuere. Igitur transfuge ad reuersionem secreto & blandè admoneantur: si non obtemperauerint, vt contagiũ deuitentur, & omnibus christianis vt lupi ab ouibus dei repellantur.

FINIS.

Synodus celebrata Wintoniæ prælidente Lanfranco Archiepiſcopo Cantuar. Anno conſecrationis ſuæ ſexto, & eſt Synodus tertia per eũ habita.

ANno ab incarnatione Domini Milleſimo ſeptuageſimo ſexto, indictione .xiiij. regnãte in Britannia glorioſiſſimo rege Gulihelmo, Preſidente Cantuariæ Lanfranco totius Britanniæ primate, in Eboraco verò Thoma Archiepiſcopo, eo inquam anno in Calendis Aprilis, habita eſt Synodus Wintoniæ, conuocata ab eodem Cantuarienſis eccleſiæ primate. In qua fratris noſtri Aitrici Ciceſtrenſis quõdam epiſcopi cauſa canonicè definita et ad certum finem perducta eſt. Decretumq; eſt, vt nullus caconicus vxorem habeat, Sacerdotum verò in caſtellis vel in vicis habitantium, habentes vxores non cogantur vt dimittant, non habentes interdicantur vt habeant, & deinceps caueant Epiſcopi, vt ſacerdotes vel diaconos non preſumant ordinare niſi prius profiteantur vt vxores non habeant. Nullusq; Clericus aut monachus in epiſcopatu alionius ſuſcipiatur, abſq; epiſcopi ſui literis. Si quis verò monachus etiam canonicè ſuſceptus fuerit, non permittatur eccleſijs publicè deſeruire. Statu-

tum est etiã ne aliquis Clericus ciuilis vel rusticus de beneficio ecclesiæ aliquod seruitium reddat præter illud quod fecit tẽpore regis Edwardi. Laici vero si de crimine suo accusati fuerint, & episcopo suo obedire noluerint, vocẽtur semel, & iterum, & tertio. Si post tertiam vocationem emendari noluerint, excommunicentur: Si autem post excõmunicationem, ad satisfactionem venerint, forisfacturam suã quæ Anglicè vocatur Ouersæenenesse, seu Laxelit, pro vnaquaq; vocatione Episcopo suo reddant. Præterea statutum est, vt nullus filiam suam vel cognatam det alicui, absq; benedictione sacerdotali, si aliter fecerit, non vt legittimum coniugium, sed vt fornicatorium iudicabitur. Supplantationes verò ecclesiarũ omnibus modis interdicimus.

Ex vetusto libro Bibliothecæ Wigor. Ecclesiæ.

Epi-

Epistola Girardi Ebor.
ad Anselmum Cantuar.

PAtri & Domino verè dilecto, & verè diligendo, Anselmo Cantuar. Archiepiscopo, Girardus Eboracẽsis ecclesia humilis servus, salutem. Cervus sitiens ad fontem currit, & viator ex itinere fatigatus, ubi requiescat attentus inquirit. Ego sitiens & lassus, ad fontem sapientiæ vestræ, & ad requiem concilij vestri confugio. Sitio clericorum meorum integritatem, et in ea requiescere volo. Sed, præter in paucis admodum vel aspidis surditatem vel fabulosi cuiusdam prothei mutabilitatem inuenio, arent ad verbum pudicitiæ, quia sancti spiritus carent vnctione. Varijs linguarum aculeis, modo minas modo conuitia infligũt. Sed hoc facilius in his qui remotiores sunt tollero. Illud autem difficile, illud omnino graue genus mali est, quod hi qui quasi in sinu meo sunt, qui canonicorum nomine gaudent, canones aspernãtur, aduersus cõcilij vestri statuta quasi sophistici disputatores argumentantur: Ecce dicunt iuxta concilium in domibus nostris fœminæ non erunt. Sed nulla concilij regula prohibet, quin in domibus vicinorum nostrorum

cum

cum fœminis soli & sine teste conuersemur.
" Professiones vero mihi penitus abnegant cano-
" nici illi, qui sine professione ad sacros ordines
" inordinabiliter sunt prouecti: hij etiam qui in
presbyterio vel diaconatu constituti, & vxo-
res siue concubinas in publico hactenus habue-
runt, & ab altari nulla se reuerentia continue-
runt. Sed quomodo eis sine professione castita-
tis, corporis & sanguinis domini consecrationē
vel ministerium credam, quorum presumptio
diutius inter ipsa luxuriæ inquinamenta hæc
tractant, vt vicissim & publicè à thoro concu-
binarum ad altare, ab altari ad eundem ne-
" quitiæ thorum reuerterentur. Cū verò ad or-
" dines aliquos inuito, dura ceruice renituntur,
" ne in ordinando castitatem profiteantur. Mi-
raq́ superbia, & de beneficijs ecclesiarum di-
uites esse presumunt, et ad altaris officium ipsi
dedignantur, ita canonicis à longè stantibus,
& de diuitijs ecclesiarum superbientibus, ad
altaris seruitium extranei cōducuntur. In his
interim pater sancte me nutantem firma, las-
sum recrea, sitientem refrigera, vt authoritate
literarum tuarum confirmatus, securius præ-
lier prælium domini, & scuto protectionis tuæ
munitus, minus timeā iacula aduersæ partis.

Præ-

Præcipe vt pari forma & à canonicorum domibus mulieres, & à mulierum domibus canonici abstineant. Præcipe vt qui contra ordinem Præshyteri vel Diaconi sine professione ordinati sunt, professionem ex integro faciant, si & ordine & honore gaudere volunt. Præcipe, ne pro canonica persona ad altaris ministerium conducatur, dum canonicus vt mundo liberius vacet ordinari dedignatur. Et qui archidiaconi infra diaconi ordinem sunt constituti, si vice peruersa maluerint Archidiaconatus dimittere quàm ordinari, nec adquieuerint vt ordinem honore dignum suscipiant: prebendarum amissione adquiescere cogantur. Quidam sacerdotis & Archidiaconi filius, donum prebendæ patris sui, & decimarum quas pater tenuerat, patre adhuc (sicut & modo) superstite, precio interueniente à me suscepit. Quod quia cum peccato factum, sine peccato durare posse non video: pecuniam post concilium reddere volui, & inhonestum commercium destruere, patriq; sua dum viueret dimittere. Sed & oblatam pecuniam recipere noluerunt, & vt res contra Dominum facta firmitatem habeat, ratiocinando contendunt. In hac causa nullius preces, nullius vanæ

supplicationes sanctitatis tuæ seueritatem emolliant. Sed te omnino annuente, adiuuante, præcipiente, liceat mihi rem malè factam destruere, ne totiens peccatum meum mihi occurrat, quotiens emptorem ecclesiæ mecum in ecclesia videro, cui & pecuniam suam reddere volui, & adhuc prout iustum fuerit reddere volo. Te pater culpa respiciet, si Eboracensis ecclesia penuria auxilij tui inordinata remanserit. Nescit enim, nescit sanctitas vestra quæ patimur, cui fœlicem primæ ecclesiæ statum representat iocunda et deo placens vnitas Monachorum. Valete, & inter illa quæ quotidiè cum domino habeatis orationum & pietatis commertia, mei precor mementote. Literas istas rogo ne videant qui in causa domini, & vobis & nobis aduersantur. Religiosi viri qui vobis abundant, eas videant, & vt mihi subueniatis, ipsi quoque precatores accedant.

Epistola

Epistola Anselmi respondens Girardo.

ANselmus seruus ecclesiæ Cantuariensis Reuerendo Archiepiscopo Girardo Eboracẽsis, salutem. Lator de vestro bono & religioso studio circa Clericorum vestrorum integritatem. Ad ea verò de quibus vestra prudentia nostrum petit consiliũ: respondeo, quia de his quæ in concilio nostro & coepiscoporũ nostrorum communi consensu statuta sunt, nihil relaxandum consulo. De illis autem de quibus in eodem concilio non tractauimus (non enim simul omnia necessaria potuimus) vt de ablatione præbendarum ante idem concilium venditarum, & de similibus, quæ non solũ ad meã & vestram personam & ecclesias nostras pertinent, sed etiam ad multas ecclesias & personas, & in his multi dissentiunt: conueniens mihi videtur, vt in proxima Natiuitate Domini, nostro & coepiscoporum nostrorum cõmuni consilio, deo dictante, sententiam certam statuamus. Vale.

Centuria. 2. Epist. 78.

Ex libro manuscripto quondam Monasterij S. Edmundi Regis & martyris.

Ex Epistola Athanasij ad Dracontium Episcopum electum sed deliberantem.

NE te impediant monachi, quasi solus ad hoc è monachis constituaris: neq; vna cum illis tausificeris, quasi teipso deterior futurus sis. Poteris enim etiam melior fieri, si Paulum imitteris, & sanctorũ acta æmuleris. Nosti enim eos, qui ita creati sunt dispensatores mysteriorum, rectius secundum scopum sese incitasse ad brauium supernæ vocationis. Quãdo autem Paulus contestatus est, & coronam se accepturum expectauit, nisi cum missus est ad docendum? Quando Petrus confessus est, nisi quum euangelizabat, & piscator hominum factus esset? Quando Helias assumptus est, nisi quum vniuersam prophetiam suã adimplesset? Quando in spiritu dupla obtinuit Helizæus, nisi quum omnibus relictis assectator factus est Heliæ? Cur autem delegit discipulos Seruator, nisi in id, vt eos prædicatũ emitteret? Quapropter, quum istiusmodi habeas exempla dilectissime Draconti: nec dicas, nec dicentibus credas, Episcopatũ esse causam peccati, aut quod inde nascantur occasiones delinquendi. Licebit tibi in episcopatũ esurire, sitire,

sitire, sicuti Paulo. Licebit & vinum non bibere, sicuti Timotheus fecit, & ieiunare frequenter, vt Paulus solet: vt ita secundum illum ieiunans, alios sermonibus nutrias, & sitiens abstinendo à potu, alijs docendo potum prabeas: Ne igitur talia obijciant tui consiliarij. Nouimus enim & episcopos ieiunantes, et monachos comedentes. Nouimus et episcopos nõ bibentes vinum, & monachos bibentes, nouimus quoq; episcopos signa facientes, & monachos non facientes. Multi quoq; ex episcopis matrimonia non inierunt, monachi contra parentes liberorum facti sunt: quemadmodũ vicißim episcopos filiorum patres, & monachos generis potestatem non quaesiuisse, animaduertas, & clericos bibisse, & monachos ieiunasse. Sic enim licet, & ad eum modum non prohibebitur, sed quisq; vbi volet, decertet: nõ enim corona pro locis, sed pro factis redditur.

Bonum non mutatur in malum. Quocirca (continens) & comedit & bibit, vxoremq; ducit, non principaliter sed necessario. Vxorem autem ducere dico, si ratio postulet et vt conuenit. Qui enim fuerit perfectus, exempla habeat Apostolos: et reuera vir ostenditur, non in eo quod vitam elegerit monasticam, Clemens Alexand. stromatum li. 7.

sed ille viros vincit, qui in matrimonio & liberorum procreatione, ac domus cura et prouidentia citra voluptatem et dolorem se exercet, et cum cura domus indiuulsus à Dei charitate, & insurgit aduersus omnẽ tentationem quæ affertur à liberis, ab vxore, à famulis, et à possessionibus. &c.

Nicep. li. 7. cap. 9. Eusebius lib. 8. cap. 10.

Omnes quidem eximij veræ pietatis propugnatores digni sunt admiratione: multo tamen excellentiores, qui diuitijs, genere, gloria, & sapientiæ studijs, præclaram consequuti famam, omnia ea Christi desiderio post habuere. Qualis Philoromus ille fuit. &c. Et qualis Phileas Thumitarũ ecclesiæ episcopus, qui quum muneribus ciuilibus ritè & decẽter obeundis clarus fuit, tum maximè philosophicis artibus excelluit. Quum igitur propinqui, amici & familiares, & alij magnas gerentes dignitates, ipse quoq; index eum obtestarentur, vt sibi ipsi parceret, coniugiq; & liberorum per misericordiam rationem haberet: nullo modo adduci potuit, vt vitæ suæ consuleret, et cultũ Christi abiuraret.

Zozomenus lib. 6. ca. 14. Athanasius contra Arrianos oratione prima.

Qualis & Basilius ille fuit Ancyranæ Ecclesiæ præsbyter, qui martirio est defunctus, atq; item qualis Eupsichius Cesariensis (Episcopus Cappa-

Cappadocia) ex veteri familia locoq; claro natus, qui paulo ante martyrium nuptus, cũ quasi adhuc sponsus esset.

Isti Constanti sapientiæ (seu potius Dei amantis animæ robore) iniurias tormẽtaq; à iudice eis illata, et postremò generose admodum & fortiter etiam capitale supplicium sustinuere. Nicepb. lib. 7. cap. 9.

Qualis certè beatus Petrus fuit, qui cum vidisset vxorem suam duci ad mortem, lætatũ quidem esse propter vocationem, & q̃ domum reuerteretur, valde autem exhortando et consolando, proprio nomine eam compellantem dixisse, heus tu memento Domine. Euseb. lib. 3. cap. 3.

Tale erat beatorum matrimonium & vsq; ad amicissima perfecta affectio: et nequaquam diuelli à charitate in dñm, quàm tenerè ad dominum peregrinanti vxori suasit (Petrus) qui verè erat vir. An non est ergo eis manifesta fides spei post mortem, qui etiam in ipso tempore tormentorum, Deo agunt gratias? firmã enim et constantẽ, vt opinor, fidem possidebant, quã fideles quoq; consequebantur operationes. Est ergo in quouis casu fortis ac valida anima eius qui est cognitione præditus, qua veluti corpus athleta, & optima est habitudine, & maximas habet vires. Est enim optimi quidem Clemens Alex. Strom. lib. 7.

dem consilij in ijs, quæ ad homines pertinent, quid sit iusto faciendum sentẽtiam exponens, nempe quæ supernè à deo procedunt principia, & ad Dei assimilationem, voluptatum & molestiarum corporis acquirit moderationem: Audacter autem insurgit aduersus metus, in Deo habens fiduciam.

FINIS.

EXCVSVM LONDINI
in ædibus Henrici Bynneman,
Anno domini. 1569.
Mense Augusto.

CVM PRIVILEGIO AD IMPRIMENDVM SOLVM.